cus ac multa membra ſub uno, eodem capite conjuncta unum dumtaxat corpus efficiunt. Sed inter omnes haſce animas quæ ſedulo tuentur interiorem puritatem chriſtianis omnibus communem, deſunt quædam, quæ ſervant etiam corporis virginitatem, quæ ex Patrum ſententia illuſtrior eſt portio gregis Dominici. Ad has loquitur Eccleſia in Epiſtola, quam legit in feſtis Virginum diebus. Ad Deum modo peculiari pertinent, uni illi placere debent, cumque diſtractæ non ſint cura placendi viro, vivunt in carne corruptibili, quaſi carnem non haberent; & in corpore vitam ducunt Angelicam. Sed cuinam acceptas referre debent has prærogativas, niſi illi, qui prior illas amavit, iiſque gratiam largitus eſt, qua ſe ſe integras poſſent devovere? *Tourneux, anno Chriſtiano Tomo* 10.

PRO COMMUNI SANCTARUM, VIDUARUM.

MONITUM.

Licet Viduarum ſtatus in ſeipſo reſpectus non ſit æque perfectus ac ſtatus Virginum; tamen non caret peculiari merito, & Deo jucundiſſimus eſt, eumque ſuadet, probat, & commendat cum lex vetus, tum nova. Immo in veteri lege ſtatus hic alteri illi antecellebat, & colebatur in iis qui aliquam habere poterant partem in Nativitate Meſſiæ, quod tanquam ſummus honor habebatur, ad quem jure poterant aſpirare; dum ſterilitas Virginum, cujus meritum adhuc latebat, erat in cauſa, ut tamquam inutiles, & quodammodo a Deo reprobatæ haberentur. Longe aliter accidit in lege nova propter rationes, quas afferre hujus loci non eſt: quod tamen non prohibet, quominus S. Paulus viduarum elogium inſtituat, & afferat media, quibus ſemet poſſint ſanctificare. Hoc infinitis probatur exemplis ſtrenuarum, fideliumque Viduarum, quarum dies feſtos celebrat Eccleſia; quia iis perfunctæ muneribus, ac officiis, quæ hoc in ſtatu Sanctus Paulus præſcribit, fieri nequit, quominus ad editiorem perfectionis gradum aſcendant. Si igitur accidit, ut quis teneatur, ſingillatim contexere elogium aliquarum Viduarum, quarum caritatis opera, virtuteſque aliæ ſatis compertæ, ac exploratæ non ſunt, hic inveniet quidquid dici poteſt in communi de Viduis, dummodo curam gerat, hoc peculiariter ad rem ſuam applicare.

PRO COMMUNI SANCTARUM, Viduarum.

Deus elegit Viduitatem pro plurimis, eis ſuppeditans adminicula, quibus ſeipſas ſanctificent.

CUm plurima Deo ſuppetant ad ſalvandas animas, eaſque ſanctas efficiendas adminicula, pro multis viduitatem elegit; eiſque viros auferens, inſpiravit deſiderium vivendi in viduali cælibatu; quod fecit cum Judith, cum Anna Propheteſſa, cum Sanctis Monica, Paula Romana, Bleſilla, Melania, Marcella, Birgitta, Eliſabeth Regis Hungariæ filia, atque tot aliis, viduitate illis ſuppeditante magna media, & magna Sanctitatis exempla. Quorum afferam nonnulla. 1. Pluries promittit Deus in Scripturis Sanctis ſe peculiarem habiturum curam viduarum, ac ſe illis patrocinaturum. Seipſum conſtituit earum Tutorem, & Oratorem. O quam bene cuſtoditum eſt, quod Deus cuſtodit! 2. Vidua hac in re ſimilis eſt virginibus, quod libera eſt ab hominum imperio, & libere poteſt ſervire Deo; cumque immunis ſit ab omnibus mundi hujus legibus, non tenetur placere alicui peculiariter, neque cogitur alium quærere virum, cui iterum nubat, neque ſibimet auferre libertatem, ut alterius viri pareat voluntati. 3. Omnes exercere poteſt ſine obice chriſtianas virtutes, quæ animam ſanctificent; quarum duæ potiſſimum ad illas pertinent; altera reſignationis divinæ voluntati, qui ut illam Sanctam viduam efficeret, peculiari providentia diſpoſuit mortem viri ſui; altera vero caſtitatis adeo commendabilis in illa, quæ connubii voluptates jam experta, cum ſine crimine eaſdem guſtare valeat, ultro illis abrenuntiat, in viduitate ſuam caſtitatem ſervatura. *In Anno Chriſtiano P. Suffren Tomo* 3.

Quam vitam duxerint viduæ ut eſſent ſanctæ.

Satis admirari non licet ea, quæ Sanctæ Viduæ fecerunt ut eſſent perfectæ, & ut in ſtatu ſuo ſeſe ſanctificarent. Has Sanctus Paulus vere viduas appellat. 1. Mortuæ erant mundo, & carnalibus voluptatibus, ut vacare poſſent ſpiritualibus, delentes ex animo memoriam deliciarum præteritarum, mutantes carnales nuptias in ſpirituales, amorem viri in amorem Jeſu Chriſti veri, & unici ſponſi ſui. 2. Maxime confidebant in Deo, tutore, & protectore viduarum, ſibi perſuadentes ex illa die, qua Deus abſtulit illis virum, & viduæ factæ ſunt, illum in viri ſui locum ſucceſſiſſe, ut ipſas conſolaretur, atque tueretur contra eos, a quibus affligerentur, earumque neceſſitatibus conſuleret. 3. Impenſius vacabant amori Dei ſui; ut Anna, Judith, S. Paula, aliæque. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Gradus alii, per quos Viduæ pervenerunt ad Sanctitatem, fuerunt ſibi cavere ab illis imperfectionibus, quas S. Paulus reprehendit in viduis; & oppoſitas adquirere perfectiones. Præcipit quippe, ut 1. Irreprehenſibiles ſint, vitam ducentes ſine labe, quæ vel Deum, vel homines offendat, & quæ Deo, & hominibus placeat, 2. Ne otioſæ ſint, utiliter ſemper occupatæ, ne diabolus locum inveniat, vel opportunam occaſionem illas tentandi, erudientes filios ſuos, ſi quos habent; familiam ſuam chriſtiano ritu inſtituentes, exercentes opera miſericordiæ & hoſpitalitatis erga alios. 3. Ut ſeſe colligant, ſolitudinem ſervent, converſentur potius cum Deo in angulo domus ſuæ, quam ſine ulla neceſſitate cum viris in cœtibus, auliſque publicis. 4. Ne ſint multum loquaces, ſed amantes ſilentium, ut melius loquantur ex corde cum Deo. 5. Ne ſint curioſæ, neque alienis ſeſe immiſceant negotiis, nec aliis præbeant occaſiones de ſe murmurandi. 6. Ut ſe abſtineant a deliciis, a mollibus indumentis, dapibus, habitaculis, ornamentis corporis, quæ dum earum viri degerent, toleranda erant, ut placerent viris, ſed in viduitate, ubi Jeſum Chriſtum habent pro ſponſo, hunc minime decent. Talis fuit Sanctæ hujus Matronæ factum, cujus vir præreptus fuerat morte; cœpit enim conſilium non quærendi virum, qui magnam hanc, & irreparabilem jacturam ſarciret. *Annus Chriſtianus Patris J. Suffren T.* 2.

Viduæ viſitandæ ſunt & conſolatione afficiendæ.

Viduæ afflictæ, & derelicti pupilli ſunt ex numero eorum, quos chriſtiana caritas nos jubet inviſere: *Religio Munda, & immaculata*, S. Jacobus ait, *eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* (*Ep. Jac.* 1.) Hic actus eſt Religionis puræ, & immaculatæ, ferre opem conſilio, & opere in eorum neceſſitatibus. Hujuſmodi in occaſione S. Ignatius Martyr ſcribens ad Tharſenſes, viduas nominans, vocat illas *altaria Dei*; nam ſicuti ſuper altaria offeruntur Deo ſacrificia; ſimiliter utilitas, quæ affertur Viduis, illas viſitando, eiſque opem ferendo, locum habet ſacrificii coram Deo; videlicet tale caritatis officium eſt illi acceptiſſimum. *Auctor recens.*

Mirum non eſt quod mulieres, quæ nondum paſſæ ſunt pœnas conjugii cupiãt nubere.

Mirum eſſe non debet, ſi mulieres, quæ nullum habuere cum viris commercium, quæ partus dolores expertæ non ſunt, & quæ hæc omnia ignorant, nubere cupiant. Militia licet laborioſa, jucunda videtur illis, qui nondum labores, & pericula belli ſuſtinuerunt; illud vero intelligere nequeo ac me cogitantem fallit, ubi video mulieres, quæ poſtquam tot labores ſuſtinuere, & cognovere quam grave, & oneroſum ſit jugum matrimonii, & quæ millies deteſtatæ ſunt momentum illud, quod ipſas viris ſuis conjunxit, & quæ invidebant innuptarum felicitati, quæ libertatem ſuam minime ſacrificaverant, iterum cupiant poſt obitum prioris viri eamdem conſcendere navim. Fert animus rationes ſcrutari, propter quas ad eadem vincula reverti voluerint, quæ adeo aſpera, & injucunda ferentibus videbantur. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

Ejuſdem argumenti

Quædam ſunt, quæ ſe trahi ſinunt amore mundi, & gloriæ: credunt, ſibi dedecori eſſe ſtatum viduitatis; & fallax hæc imaginatio illas iterum immergit in alterius conjugii calamitates. Aliæ ſe patiuntur ferri ſua libidine, ac intemperantia, quam ſpecioſo aliquo prætextu celare contendunt. Non equidem damno ſecundas nuptias, quandoquidem Sanctus Paulus probat illas: nam poſtquam dixit: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam;* (1. *Cor.* 3. 39.) quod ſubdit, ne quis credat hoc humanum dumtaxat eſſe conſilium, & oſtendat ſe divinitus hæc hauſiſſe inſtituta. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi.*

Quid cogitandum de ſecũdis nuptiis, & de viduitate.

Viduis negotium faceſſere nolo, neque fas eſt illis vitio vertere quod approbat Deus: verum cum viginitatem laudibus extollimus, non ideo nuptias improbamus; ita cum viduitatem celebramus, nolumus aſſerere alteras nuptias noxias eſſe; ſed mulieres hortamur, ut contentæ eſſe velint nuptiis prioribus. Si expedit non nubere; quæ nubit, legem minime infringit. Cum ex duobus ſtatibus alter præfertur, non ideo alterum vituperandum, ac turpem eſſe dico. *Idem.*

De diſcrimine inter priores, alteraſque nuptias.

Multum quidem diſcriminis intereſt inter primas alteraſque nuptias: cui ſatis eſt vir primus ſatis oſtendit facto, ſi optime noviſſet quid ſit conjugium, ſe numquam de illo fuiſſe

cogitaturam; ſed quæ in thalamum ſuum alterum inducit virum, plane teſtatur, ſibi mundum, humanaſque res placere. Prior illa, donec vivit vir ſuus, de aliis hominibus non cogitat; ſed hoc ipſum de poſteriori affirmari non poteſt, licet nulli turpitudini aſſentiatur; ſed veniamus ad rem, quin quidquam contra præteritam vitam ex recenti facto inferamus. *Idem.*

Vidua, cui primæ ſufficiunt nuptiæ fieri deinceps poteſt ſimilis Virginibus.

Virginitas eſt nuptiis præſtantior; pariterque præſtat ſemel tantum nubere, quam bis. Viduæ re adhuc integra inferiorem præ Virginibus ſtatum ſibi elegerunt; ſed deinde iiſdem fere evadunt æquales. Ad honorem hunc anhelare nequeunt nuptiæ ſecundæ. Mulier, quæ haud ægre viduitatem amplectitur, ſatis oſtendit, ſe nihil admodum laboraſſe, vivente viro ſuo, ut deliciis operam daret; ſed illa, quæ viduitatem tanquam ſtatum incommodum reſpicit, ſatis probat, ipſam facili negotio pluribus viris ſe ſe tradituram, ſi liceret; & ad extremam uſque ſenectutem, hoc vitæ genus eſſe perducturam. Quemadmodum quæ primo tantum conjugio contenta eſt, oſtendit ſe honeſtatem, & continentiam diligere; ita quæ pluries nubit, ſi minus impudicitiæ notam incurrit, ſaltem præbet magnæ imbecillitatis indicium, vel præſefert ſpiritum abjectum, ac terræ inhærentem. *Ex Opuſculis S. Joann. Chryſoſtomi.*

Vir deferere debet parentes ſuos, ut unice adhæreat uxori.

De viduis intelligendum eſt Oraculum illud, quod protulit Dominus: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Adhæſit illa viro ſuo, tanquam ſi eſſet hic pars ſui ipſius, neque receſſit a capite quod illi datum fuit. Mulieres, quæ nubunt iterum, non ita viris adhærent ſuis; alios poſt alios extrudunt; ſatis palam oſtendunt, memoriam eorum ſibi caram non eſſe: neque poſſunt pro ſecundo conjuge amorem ſatis purum habere, quoniam ſemper retinent aliquot amoris reliquias pro priori, ita ut pro neutro eum amorem, ac reverentiam habeant, quam debent. *Idem.*

Quid ſecundus vir cogitet de uxore, quã voluptatibus, & lætitiæ deditam videt?

Scire vellem quid vir ſecundus, qui in prioris thalamum ſuccedit cogitet de uxore, quam videt ſeſe lætitiæ, & voluptatibus dedere? Nullus dubito quominus factum hoc illum commoveat, & ipſius benevolentiam imminuat. Quantumvis durus ſit homo, exuere non poteſt omnes ſenſus humanitatis, neque animo æquo pati mulierem, quomodocumque ornatam, & licet omnia in domo ejus renideant, cum teſtitur ſe viri prioris omnino oblitam fuiſſe, mœrore non prohibetur quominus puriores guſtet voluptates. *Idem.*

Licet ſecundarum nuptiarum ſpecies præclara videatur, amaritudines, quibus conſociatæ ſunt, mox plurimos pariũt dolores.

Cum paries fumum, atroremque ebibit, oleum & operam perdit, qui eumdem dealbare contendit, & ſuperinducta albedo brevi fuliginem induit, & injucundum ſpectaculum præbet; ita licet ſpecies alterius conjugii primum quidem præclara videatur, tamen quædam moleſtæ præteriti temporis cogitationes virus inſpergant voluptatibus quæ percipiuntur. Domeſtici, accolæ, conſanguinei prioris viri gemunt ea, quæ ſunt intuiti; & ſi qui ſuperſunt thalami prioris filii; horum omnes miſerentur, ſi parvuli ſunt, & contra eorum matrem indignantur; ſin autem adulti, vitrico ſuo, quantum poterunt officient, & incommodabunt. *Idem.*

Quæ iterum nubere volunt nõ debent profiteri viduitatem.

Si iterum nubere vultis, cur viduitatis ſtatum profitemini? Præſtat non polliceri, quam fidem datam infringere. Jeſus Chriſtus vobis matrimonii uſum permiſit, quin legem in oppoſitum irrogaret: quod vobis dico tanquam id quod permittitur, & non præcipitur vobis ad prohibenda omnia incontinentiæ mala. Ita enim Jeſus Chriſtus humanæ fragilitatis miſertus, hoc permiſit ad evitanda mala graviora, potius quam hoc naturalis neceſſitas cogat. *Idem.*

* Si vidua quæ profeſſa eſt viduitatem, promiſſionem violat, habetur tamquam adultera.

Virgo, quæ poſt elicitum virginitatis votum ſibi vim patitur inferri adulterio gravius crimen committit; ita vidua ubi viduitatem profeſſa eſt, niſi præſtet fidem & in ſcelus ruit, punienda eſt tanquam adultera, immo etiam majori cum ſeveritate, quia cedit tentationi, licet criminis ſui magnitudinem intelligat. Igitur ad hæc mala avertenda præcipit Sanctus Paulus viduis, ut iterum nubant, filios pariant, rei familiaris curam gerant, ne Religionis noſtræ inimicis locum præbeant aliquid nobis exprobrandi. *Ex Opuſcolis Sancti Chryſoſtomi.*

S. Paulus viduis permittit ut iterum nubant ad ſcãdalum auferendum, quod afferre poſſent prava vivẽditatione.

A veritatis ſpecie non abhorret, plures tunc temporis viduas, poſt viri ſui obitum vitam parum pudicam duxiſſe; abuſas eſſe ſtatus ſui licentia, & per impudentiam peſſime audiſſe. Ut illas ab hac licentia ſemoveret Apoſtolus, operæ pretium eſſe cenſebat illas iterum viri jugo ſubjicere. Nam, ajebat ille, ſi viduitatem prætexunt, prætexunt, ut libidini obſequantur, & ſeſe omni dedecore commaculent; præſtat illas nubere, ut rumores mali, & ſcandala ceſſent. S. Paulus aliis etiam de cauſis exprobat illas: nam quia vacent orationi, *otioſæ diſcunt circuire domos*; non ſolum otioſæ, ſed *& verboſæ, & curioſæ, loquentes, quæ non oportet.* Viduæ, quæ hac ratione vivunt, nullatenus placent S. Paulo, vult enim illas aſceticis tantum rebus occupari. Vidua autem, *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* Virginis virtus non in eo tantum ſita eſt, ut caſtitatem ſartam tectam tueatur, opus eſt, ut omne tempus ſuum in Dei laudes, cultumque tranſmittat. *Porro hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento dominum obſecrandi.* Non vult illam eſſe diviſam, ſed unice Deo intentam, & nihil illi negotium faceſſere, niſi quod ad Dei cultum pertinet. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Apoſtolus de Viduis eodem ferme pacto loquitur, quo de Virginibus; *quæ autem vere vidua eſt, ac deſolata, ſperet in Domino, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die.* Iis vero, quæ omne tempus ſuum terunt in nugis, rebuſque inutilibus, & noxiis, rurſus nubere præſtat. Deus diem Sabbati Judæis conceſſerat, non quidem ſolum, ut quieſcerent, ſed ut ab illicitis operibus abſtinerent. Ita virgines, & viduæ ſtatum hunc non ideo ſolum amplectuntur, ut hominum fugiant commercia, ſed ut ſemet omnino Dei cultui devoveant. *Idem.*

Rationes, quas prætexunt Viduæ iterum nubere cupiẽtes.

Incommodum eſt mulieribus, quibus nulla eſt terrenarum rerum experientia, ea obire negotia, quæ ad viros tantummodo pertinent, & quibus obeundis illæ pares non ſunt. Se ſe inutili labore torquebunt, & ſuas evertent opes. Quæ non nubunt iterum, dolent intuitæ bona ſua imminui; non multæ viſæ ſunt viduæ, quæ apte negotia ſua procuraverint. En cauſſæ, & fucati prætextus, quibus utuntur ad ſuam tegendam infirmitatem: nam mulieres melius callent, quam viri œconomiam familiarem adminiſtrare; filiis optime educandis magis ſunt pares; nec defuere, quæ redditus ſuos ampliaverint, & aliæ quæ ne minimum quidem eorum fieri detrimentum paſſæ ſunt. Deus ab initio non omnia viris contulit. Domeſticarum rerum œconomia ad mulieres æque ac ad mares pertinet, ne ſi illæ omnino inutiles eſſent, contemnerentur. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* (*Gen.* 2. 18.) Quamvis mas primum, & mox facta fuerit mulier, non ideo nimium ſibi arroget; feminarum quippe curæ neceſſariæ ſunt ad bene regendam domum, rectumque ordinem in illa conſtituendum. Vita præſens in publicis, privatiſque negotiis verſatur. Ea quæ ad rem publicam pertinent, viris mandata ſunt; feminarum miniſterium intra privatos parietes continetur. Si hic ordo ſubvertitur, omnia corruent; oportet enim ſingulos ea, quæ ipſos decent, curare. Feminæ in familiæ regimine tantum præcellunt maribus, quantum ſcitus artifex in arte ſua præſtat illis, qui in eadem penitus rudes ſunt; cur ergo perperam adeo miniſterium hoc reformident? *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Viduæ igitur timendum non eſt, quod viri ſui abſentia domeſticis negotiis officiat, nam illo ſuperſtite am illa procurabat; Nemo audet mulieri dolorem inferre omnes enim timent virum illius, qui illam, ut ita dicam, protegit ab omnibus aliorum hominum pravis contentionibus: ſed licet S. Paulus permittat, ut iterum nubant; non admodum tamen laudandæ ſunt, quæ id agunt. Si minus ideo propter hoc factum puniuntur, ſaltem ſe laudatum iri non ſperent; hoc ſane argumentum eſt infirmitatis eorum, & propenſionis, qua in voluptatem feruntur. Præterea non deeſt viduis excellens ratio omnibus rebus ſuis optime conſulendi, & bona ſua ſarta tecta procurandi, quin aliquis adverſetur; immo e contra ſimul mortalium omnium laudes, & præmia conſequentur, quæ Deus pollicitus eſt; videlicet ſi in bonorum ſuorum partem vocaverint pauperes, illa non ſolum non imminuentur, ſed palam augebuntur. *Idem.*

Pericula quæ imminent mulieri alterius viri jugum ſubeunti.

Si vidua de viribus diffidit ſuis, & non credit ſe carere poſſe viro, qui negotia procuret, ne adeo facile ſibi perſuadeat, illum, cui nubet, habiturum eſſe ea ſtudia, quæ cupit ad reditus ſuos augendos; vel ſi habuerit; timendum eſt, ne illis probitas deſit, & aliquid contra divinas, humanaſque leges peragat: Si ille dives fuerit, & potens; ſæpius plurima illi moleſta, ac injucunda voranda erunt: mala commentitia, quæ ſibi viduæ timebat, vera fient; & quin fortunam ſuam in tuto collocaverit, illam brevi labefactatam videbit. Si enim vidua aliquam patitur jacturam, tamen aliquid illi ſupereſt; ſed quæ iterum ſummo alicui nubunt domino, cui Reipublicæ adminiſtratio demandata; ſæpe amittunt die una quidquid poſſident, cum viro aliqua incidit calamitas, propterea quod ſit conſors calamitatis ejuſdem. *Idem.*

Feminæ, quæ iterum nubunt amittunt libertatem ſuam, & de bonis ſuis nequeunt diſponere.

Sed licet hæc omnia mala nequaquam evenirent, numquid æquo animo libertatem ſuam ſacrificabunt, & ſervitutem ſibi comparabunt? Quid opes proſunt, cum de illis diſponere non licet? Non ne præſtat bono mediocri frui, de quo nobis facere licet quodlibet; quam omnes Mundi hujus poſſidere divitias, & ab alienis arbitriis pendere? Prætermitto curas domeſticas, lites, probra, ſuſpiciones, zelotypias, dolores partus, aliaque id genus ſexcenta, quæ a conjugiis ſeparari vix poſſunt. Hæc omnia verbis repræſentari poſſunt Virgini, quam nil tale rerum magiſtra docuit experientia; ſed rationes hæ tædium afferunt viduæ, quæ hac in re plura didicit iis, quæ poſſit doceri. *Ex Opuſculis S. Joann. Chryſoſtomi.*

Adoleſcentior vidua, quæ virtutem habet in viduitate permanendi majorem habet gloriã, ac majus meritũ, quam ſi diutius vixiſſet cum viro ſuo.

Verum ſi hæc vidua fuerit adoleſcentior, nec diu nupta manſerit? Quidquid hactenus dixi ad illas tantum pertinet, quæ ætate ſunt paullo provectiori; de aliis ne cogitavi quidem. Si has tenet deſiderium iterum nubendi, non habeo quid dicam; neque mihi ſatis eſt eloquentiæ, ut illis oppoſitum ſuadeam; quoniam tempus, & ætas illas cohibere non poſſunt; rationes, quas attuli, ad viduas juniores pertinent. At enim, inquis, quid eſſet mali, ſi poſtquam ad annum viduitatem ſervaverit, iterum nupſerit? Sed ſi in ætate adeo tenera virtutem habuerit cælibem permanendi, majorem aſſequetur gloriam, ac meritum majus, quam ſi cum viro ſuo annos triginta vixiſſet. Hæc eſt S. Pauli ſententia: *Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Si diu nupta vixerit, ſaltem unum tantummodo virum habuit, quod magis venia dignum eſt, quam ſi duos brevi temporis intervallo habuiſſet. *Id.*

Remuneratione viduarum in

Tenendum eſt non omnium viduarum remunerationes pares eſſe futuras. Quæ jugum ſuſtinent ab adoleſcentia, gloriam

Cælo aptabuntur earum ætati, & meritis.

tiam majorem conſequentur, quam illæ quæ in ætate provectiori viris ſuis deſtituuntur. Adoleſcentiori viduæ plura ſuſtinenda ſunt prælia, hæc propter amorem Dei omnia difficultatum genera ſuffert: quæ vero provectiores ſunt ætate, nequaquam tantos conatus exerere debent, quia non tantis periculis obſidentur; ita illæ, quibus ſatis fortitudinis eſt, ut in florenti ætate viduitatem profiteantur, magis laudabiles ſunt præ illis, quas ſenectus atterit, & quibus non multum laboris ſuſtinendum eſt, ut tueantur caſtitatem. Ita & præmia longe erunt alia, & difficultatibus congrua. Ponderandum eſt pretium, quod expectatur. Hæc ratio eſt efficiendi, ut facilis videatur virtus, quæ alioquin habetur difficilis, ubi ſola ſpectatur, quia ratio habeatur gloriæ, quam nobis procurat. *Idem*.

Ejuſdem argumenti.

Nihil diſcriminis intereſt viduas inter & virgines. Hæ ſæpe minus habent meriti, quia ſe ſe negotiis ſæcularibus immiſcent; ſed quæ *vere vidua eſt*, *& deſolata ſperet in Deum*, *& inſtet obſecrationibus*, *& orationibus nocte*, *& die*. Abrenuntiet ſæculi impedimentis, & fit aptior ad pugnam, & ad recipienda præmia, quæ illi Deus pollicetur. Nequaquam credidi rationes omnes, quas huc uſque attuli, eſſe neceſſarias; mens non eſt eas improbandi, quæ operæ pretium ſe facturas putant, ſi iterum nupſerint; hortor illas ne terræ huic inhæreant, & vincula ſua contringant; ut perfecta libertate fruentes non niſi cæleſtia ſapiant, & cupiant, & J. Chriſto adhærentes nihil viro ſuo indignum admittant. *Idem*.

Quænam eſſe debeat viduæ modeſtia in exterioribus actionibus.

Omni niſu contendite, ne quid immodeſtum, ac leve in obtutu, inceſſu, geſtuque veſtro innoteſcat. Oris faciem habete ſeriam, ſuavem, & affabilem, verecundum corporis habitum, ſtatumque honeſtum, qui ſapientem ſpiritum, ac bene natum redoleat. Contendite hujuſmodi videri ubicumque, & cum quibuſcumque eſtis, præſertim vero coram ſuperioribus propter eam, quam illis debetis reverentiam. Refulgeat ſemper in vobis ædificatio, & bonum exemplum, etiam cum ſolæ ſitis; ſemper enim eſtis coram Deo. Mulier ſapiens, & bene inſtituta, ubicumque modeſtiam præferre debet; non enim eſt modeſtia, ut hominibus placeat, quæ mera vanitas eſſet, ſed ut placeat Deo illam intuenti: *Modeſtia veſtra*, inquit Apoſtolus, *nota ſit hominibus*, *Deus enim prope eſt*. *Gobinet in inſtitutione adoleſcentiæ*.

Conjuge defuncto uxor vidua remanere poteſt, vel iterum nubere ad arbitrium.

Conſtat poſt primi conjugii diſſolutionem licere ad alterum, & ab altero ad tertium conjugium procedere. Gentium Apoſtolus, qui nihil ignoravit eorum, quæ fieri poſſunt in Eccleſia, palam docet, mulierem, quæ jacturam fecit viri ſui, poſſe in ſuo viduitatis ſtatu permanere, vel iterum nubere. Verum quidem eſt, ipſum addere; illam melius ſibi conſulturam, ſi ſic permanſerit, quin ſe recenti immiſceat connubio; tamen ſatis perſpicue docet, ſe id non vetare, ſed dumtaxat quaſi monitum ad perfectionem adquirendam præbere. *Auctor Sanctæ Familiæ*.

Exemplum Abraham, qui plures duxit uxores.

Et ſi Sanctorum Virorum exempla regulæ ſunt, quas citra errorem ſequi licet, Abraham illos tuetur, qui non ſemel uxorem ducunt. Sacra Scriptura, quæ mentiri non poteſt, teſtatur, cum Deus diſpoſuiſſet de Sara, quæ prima fuit uxor magni hujus Parentis tot Nationum, in ſecundis nuptiis duxiſſe Ceturam, cum qua plures vixit annos. Fortaſſe, S. Auguſtinus ait, permiſit Deus ſecundas has nuptias viro tanti meriti, ut os obſtrueret omnibus Hæreticis, qui nuptias alteras damnare vellent; & ut mortales omnes doceret, conjugium alterum non minus, quam primum omni culpa vacare. *Idem*.

Utrum præſtet viduitatem ſervare, an alterum conjugium amplecti.

Sed licet ad alteras tranſire nuptias nulli ſit nefas, & licet ſtrenuis hiſce viduis, quæ ſexus ſui gloriam ſuſtinuerunt, ſummi delati fuerint honores, ſemper dubitandi locus eſt, utrum utilius ſit in viduitate perſeverare poſt primum conjugium, an ad alterum gradum facere. Videntur illi, quibus primum non ſatis bene vertit, imprudenter agere, ſi alteri ſe immiſceant; ſi enim alterum priori nihilo melius proceſſurum eſt, gravior illos manet pœnitentia, quod cum malum jam cognitum, atque exploratum evitare potuerint, ſe ſe eidem ultro rurſus objecerint. Horum conditio non differt admodum ab illa honeſti viri, qui cum mari iter eſſet ingreſſus, & ægerrime ex naufragio evaſiſſet, iterum navim conſcenderet, & iiſdem ac ante ſe ſe periculis objiceret: qui ſe recenti procella videt jactatum, damnat quidem, ſed ſero nimis ſuam temeritatem. *Idem*.

Qui iterum ducunt uxorem carent gratiis, quas Eccleſia cōcedit aliis, qui unicam duxerunt uxorem.

Sive ad alteras tranſire nuptias expediat, ſive ſecus, certum eſt his ſemper aliquid ineſſe dedecoris, quod pudore ſuffundit faciem eorum, qui eaſdem ſequuntur. Eccleſia ipſa, quæ illas permittit, gratias quaſdam largitur non ſequentibus eas, quas bigamis negat. Hac de cauſſa ad ſacerdotii ſanctitatem non admittit eum, qui duas duxit uxores. Non quod hos judicet nocentiores, ſed quod hac in re aliquid indecorum eſſe videatur, quod hujus characteris dignitatem dedeceat. *Idem*.

Scriptura præcipit, ut viduæ in honore habeantur.

Si turpe eſt viro prioribus nuptiis contentum non eſſe, hoc turpius eſt mulieri; & ſancta Scriptura, quæ de maribus in ſua viduitate permanentibus minime loquitur, præcipit, ut viduæ mulieres in honore habeantur, cum modeſte vivunt, & ut ſuam decet conditionem; quia hic ſtatus eſt unus ex ſanctioribus, qui ſint in Eccleſia. *Auctor Sanctæ familiæ*.

Gloriā; quā adquirūt viduæ in ſua viduitate permanentes.

Prima, quæ viduis debetur gloria, illa eſt conſtantiæ primi amoris, quem inviolatum ſervare cupiunt, quin quemlibet in illius partem admittant. Teſtari volunt mentem, quæ illas a viris ſuis ſeparare valuit, ſatis fortem non eſſe, ut ſuam fidem frangere valeat. Gloria ſecunda, quam adipiſcitur Mulier permanens in ſua viduitate, hæc eſt, quod per conſtantiæ ſuæ firmitatem oſtendit, ſe non eſſe voluptatibus obnoxiam, ſe eſſe dominam corporis ſui, & ſuperiorem omnibus ſexus ſui infirmitatibus. Quilibet eam laudibus cumulat, vel proponit veluti exemplar, & omia opera illius bona probantur, & celebrantur. Viri ſui conſanguinei non ultra illam tanquam alienam reſpiciunt; eodem amore proſequuntur, quo virum ejus; eamque conſiderant potius tam virtute, quam affinitatis jure adquiſitam. De hac tanquam de muliere forti loquuntur, quæ majorem gloriæ familiæ ſuæ partem conſtituit. Romani illam corona redimitam, tanquam victricem, triumphantemque deducebant. *Idem*.

Mulier, quæ iterum nubit locum præbet ſuſpicandi non ſatis caſtam fuiſſe in primis nuptiis.

Hæ laudes veræ viduæ deferuntur; ſed non iidem ſenſus foventur de illa, quæ facile ad alterum thalamum migrat. Hæc neſcio quam relinquit ſuſpicionem non ſatis accuratæ caſtitatis in primo, quod eo probabilius eſt, quod mulieres ipſæ teſtantur. Uxor bona alterius viri deſiderio teneri non poteſt; de ſecundis nuptiis non loquitur, niſi tanquam ſolatio, quod miſeris negari non poteſt, quæ hoc indigent remedio, licet turpi, ne in majorem confuſionem decidant, cum quibus agendum eſt tanquam cum iis qui, procella jactati, ex naufragio nequeunt emergere, niſi illis conjiciatur tabula, cujus ope ſalventur. *Idem*.

Extrema ejus gloria, quæ ſemet nuptiis implicare iterum poſt priorem thalamum detrectat, eſt caritas erga filios, quos præfert illi voluptati, quam ab altero connubio ſperare poſſet. Non deeſſe videtur quædam durities in patre, vel matre, ex priori thalamo cum ſuſceperint filios, alios quærunt ex altero. Non ne hoc eſt aditum aperire zelotypiæ, & diſcordiam ſerere in familia? *Idem*.

Filii thalami prioris ut plurimū alterius thalami filios ægre ferunt.

Magna opus eſt dexteritate ad hoc, ut prioris connubii filii, qui natu majores ſunt, ac ſe parvulos domus ſuæ dominos putant, æquo animo ſuſtineant eos, qui ex ſecundis nuptiis oriuntur, quos habent tanquam alienos, qui nuper ſe ime in jura ipſorum ingrediuntur, ut ipſos de bonorum poſſeſſione deturbent. Filiis bene natis moleſtum eſt, quod qui receus acceſſere, ſibi patris, matriſve ſuæ amorem præripiant, quo nihil eſt ipſis antiquius. *Auctor Sanctæ Familiæ Tomo 3.*

Zelotypia inter utriuſque thalami filios ſæpe multa mala parit.

Quod ſi acciderit, nec deſunt exempla, ut illos prioris thalami filios, præter infortunium habendi vitricum, aut novercam, cujus ipſas etiam illecebras reformidant, intelligere, patrem, vel matrem ſuperſtitem affectum erga ſe mutaſſe, & ab illo non niſi novæ conjugis filios amari, quis prohibere poſſit, ne illi in deſperationem adducantur? *Idem*.

Magnus eſt filiorum dolor incidere in manus vitrici aut novercæ.

Nihilominus omnes fateri tenentur, maximo dolore confici filios, qui incidunt in manus vitrici, vel novercæ. Liquet quam odioſum ſit Novercæ nomen: verum eſt, ſi intelligatur, quomodo intelligendum eſt, & juxta primam nominis inſtitutionem nihil niſi amabile, ſignificari: innuit enim mulier in cor, & nomen bonæ matris ſuccedentem. Sed tot mulieres nomine hoc appellatæ fuerant, nihil habentes eorum, quod nomen ſignificat, ut hoc nomen vulgo pro injuria habeatur. *Idem*.

Ratio habēda Viduarum.

Depoſita quæcumque, viduarum autem potiſſimum, ſalva eſſe debent, aſſervanda ſunt diligentiſſime, ne pereant. Fidelitas, & bona fides in civili ſocietate omnino ſunt neceſſariæ, præſertim vero cum agitur de bonis viduarum, & orphanorum. Machabæorum hiſtoria præclarum nobis exhibet rei hujus exemplum. Quidquid depoſiti loco in Templo poſitum erat, propter viduas conſervatum fuit. Perfidus Simon Antiocho Regi aperuerat, ingentem auri, argentique vim in Templo aſſervari. Avarus Princeps mittit Heliodorum Jeroſolymam, venit in Templum, Summo Sacerdoti ſignificat Regis imperium, ſuique itineris cauſſam. Summus ille ſacerdos reſpondet, pecuniam illam attingi non poſſe, quia ad viduas pertinebat, & deſtinata erat in orphanorum alimoniam. Adjecit Hircanum quemdam ſanctitate inſignem quamdam pecuniæ ſummam in Templo depoſuiſſe; illamque oſtendit Heliodoro, quæ ducenta erant auri talenta, argenti vero quadraginta. Hæc auferre conatus eſt Heliodorus, ut ea in Regis theſauros inferret. Sacerdotes omnes Sacerdotalibus induti veſtibus, in genua coram Altari procubuerant, & lacrimarum torrentem effundentes, Deum vivum obteſtabantur, ut illos ex imminenti periculo liberaret. Summi vero Sacerdotis mutata facies dolorem, ac timorem ſuum oſtendebat; omneſque manus in Cælum attollebant Deum precaturi, ut ſuam legem defenderet. Interim Eques procero corporis habitu cœtui univerſo conſpiciendum ſe præbuit, cum duobus juvenibus ſimilibus ſui, qui omnium oculos in ſe convertentes irruerunt in ſacrilegum Heliodorum, percuſſerunt illum, & ſemianimem reliquerunt, ita ut nulla ei ſalutis ſpes affulgeret. Sed improbi hominis amici, illius calamitatis miſerti, ſummum Sacerdotem exorarunt, ut ejus vitæ parceret. Quod cum obtinuiſſent, ac Heliodorus in ſe reverſus crimen illud confeſſus fuiſſet, cujus tamen non niſi fuerat inſtrumentum, gratias egit Summo Sacerdoti, & hoc oſtendit exemplo qua fidelitate, & cura ſervanda ſint depoſita viduarum. *Ex Officiis S. Ambroſii*.

Thabita a S. Petro in vitam revocata propter bona opera ſua.

In actis Apoſtolorum cap. 9. legimus cum Sancta Mulier, Apoſtolorum diſcipula obiiſſet bonis operibus plena, ut loquitur textus ſacer; exoratum fuiſſe S. Petrum, qui miſerias lacrimarum egenorum, mortem ejuſdem plorantium, & prædicantium eleemoſynas, quas illa dum viveret large effundebat, atque oſtendentium veſtes, quas illis largiebatur, a Deo peteret, ut illi vitam reſtitueret, ad hoc ut in bonorum operum exercitatione perſeveraret, Apoſtolorum Principem preces effudiſſe, ac voti fuiſſe damnatum magna cum admiratione eorum, qui aderant, ac totius regionis. *Auctor recens*.

De Viduarum caſtitate.

Viduæ ſæculi longe diſcrepant ab Evangelicis, quæ vitam ſuam traducebant in Templo in jejuniis, & orationibus. Potius illis ſunt ſimiles, quas improbat S. Paulus, & quæ in deliciis vivebant. Profecto videntur plurimæ, quæ in amatoriis nugis verſantur, tanquam in ſuæ vanitatis elemento. Si putant, eo quod tot ſe ſe inſtruunt ornamentis ex auro, & ſerico, fuco, & unguentis, ſequi exemplum Judith, quæ hoc ipſum facere in Scripturis deſcribitur: vehementer errant, vel potius ſe ipſas fallere quærunt. Hoc enim in forti illa viragine fuit ſuæ virtutis effectus, & in his ultronea eſt ars mollitiei ipſarum; illa hoc triduo, ad ſummum quatriduo fecit, hæ in hac perſeverant; illa vim fecit ſolitudini viduitatis ſuæ, ut hoc ſtratagemate patriæ ſuæ inimicum ſuperaret; aliæ hanc ſibi vim faciunt, ut vires augeant inimicis pudoris ſui. Itaque tantum abeſt, ut in earum viduarum numero ſint, quas haberi in honore jubet Paulus, ut ſæpe mereantur contemptum eorum, qui teſtes ſunt earum impudentiæ. *Ex ſpecimine Orationum Abbatis de Aubignac, in Sermone de Incarnatione Filii Dei*.

Conſolatio ad Viduam propter obitū viri ſui.

Teſtantur omnes infortunium, quod tibi contigit permittente Deo te ex ea parte vulnerare, in qua plurimus eſt ſenſus. Hoc illi ipſi, qui maxima pollent virtute fatentur; Verum cum non proſit dolorum ſuorum pondere ſuperari; neque dies jugibus lacrimis terere; nihil prætermittendum eſt, ut ad cicatricem revocentur vulnera, quæ neglecta fiunt inſanabilia, & quæ ploratibus, tædiiſque magis, magiſque exaſperantur. Tibi igitur ſuadeo, ne ægre, & iniquo animo feras, quæ tibi ſolatium afferre quærunt, & ad tempus lacrimarum tuarum impetum cohibere. Hoc auſus non ſum aggredi, cum dolor tuus adhuc vigebat nimis acer, ac vehemens: præſtolatus ſum donec ille iis imminueretur lacrimis, quas effudiſti; ſed cum incipias oculos abſtergere, & aures præbere iis, quæ dicturi ſumus, adjiciam ſermones meos illis, quos mulieres tibi deſervientes habere jam potuerunt. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi*.

Adoleſcentulæ nondū rerū experientia edoctæ graviori dolore afficiuntur ob virorum obitum.

Mulieres magis obnoxiæ ſunt dolori, cum præſertim juniores ſunt, & mors inopina illis viros aufert, cum nullam habent rerum experientiam, cum repente multijuga curarum turba opprimuntur, poſtquam ſuperiores annos traduxerunt in voluptatibus, & gaudiis, quorum inexhauſti fontes erant opes, atque divitiæ. Mala, quæ incidunt cum omnibus his circumſtantiis illis non ferenda videntur, & niſi eas fulciat gratia, metuendum eſt, ne ratio confuſa deficiat: Hinc certiſſimam elicio concluſionem, tibi Deum palam patrocinari. Temet deſperationi tradidiſti, cum in te irrueret tanta malorum turba; mens tua nihil amiſit ſuæ tranquillitatis; homines hanc tibi malaciam procurare non valuerunt; ſed Deus Pater miſericordiarum, cujus ſapientia infinita eſt, & Auctor eſt omnis conſolationis: *Ipſe cepit*, *& ſanabit nos; percutiet*, *& curabit nos*, (*Oſee 6.2.*) Donec vir tuus vivebat; particeps eras gloriæ ſuæ, experiebaris effectus curarum, & ſapientis adminiſtrationis illius; ſed poſtquam illum tibi abſtulit Deus, ipſe in illius locum ſucceſſit: *Dominus cuſtodit advenas*, *pupillum & viduam ſuſcipiet*. (*Pſal. 145.*) *Idem*.

Conditiones, quas requirit S. Paulus in muliere, quæ inter viduas admitti poſtulat.

S. Paulus volebat, ut quæ eligenda erat, ut in viduarum numerum recenſeretur, non eſſet natu minor annis ſexaginta. Ætas ad hunc merendum honorem non ſufficit; addit enim Apoſtolus: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum*, *quæ fuerit unius viri uxor*, *in operibus bonis teſtimonium habens*, *ſi filios educavit*, *ſi hoſpitio recepit*, *ſi Sanctorum pedes lavit*, *ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit*, *ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt*. Hæc ratio eſt illas cognoſcendi, & probandi. Vult illis omnes ineſſe virtutes, ut oſtendat quanti faciat illas: cum enim dixerit: *Adoleſcentiores autem devita*, rationem addit; *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto*, *nubere volunt*. Quibus verbis S. Paulus ſignificat, mulieres, poſt virorum ſuorum deceſſum, fieri Sponſas Jeſu Chriſti: ſed has nuptias ſuaves eſſe, & in ſe nullam habere amaritudinem; quia ſemper licet illis ad recentem thalamum tranſire. *Idem*.

Quanti S. Paulus faceret Viduas, & curam, quam de illis gerebat.

Ex pluribus Epiſtolarum S. Pauli locis liquet, quo in pretio ille viduas haberet, & quam earum curam gereret: *Nam quæ*, ait ille, *in deliciis eſt*, *vivens mortua eſt; quæ autem vere vidua eſt*, *& deſolata*, *ſperet in Deum*, *& inſtet obſecrationibus nocte*, *& die*: & in Epiſtola ad Corinthios, *Beatior autem erit*, *ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium*. Hæ præclaræ ſunt laudes Viduitatis. Hæc axiomata ex nova Lege diſcuntur, quæ tantopere extollit ſtatum Virginitatis, ut non deleat prorſus gloriam viduitatis. Hæc quoque, ut illa, ſuum habet pretium. Ne putetis ergo ſtatum hunc, non ſecus ac Virginalem contumeliæ loco habeatis. Avertat Deus, ne adeo fallacia foveatis conſilia. *Idem*.

Viduæ ſe ſe cōſolari debent in obitu conjugū ſuorum.

Si obitus viri tui tot tibi mœrores parit, eos æquos eſſe non abnuo; neque enim in mundo univerſo invenies æque probum, humanum, cordatum, bonæ fidei, prudentem, ac integrum. Jure lacrimas effunderes, ſi mors illum ad nihilum redegiſſet; verum ſi eſt in tranquilliori ſtatu, ſi quieſcit in ſinu Domini ſui, major tibi eſſe debet lætitiæ cauſſa, quam fletus. Mors hæc non aliud eſt quam mutatio manſionis; hoc eſt relinquere manſionem injucundam, ut aliam commodiorem inveniat; hoc eſt de terra in Cælum migrare; hoc eſt ab hominibus ſeparari, ut verſetur cum Angelis, & beata Dei viſione perfruatur. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi*.

Si enim ſponſus tuus ex eorum eſſet numero, qui flagitioſam vitam ducunt, non utique ſatis plorare valeres illius vitam, & mortem; ſed quandoquidem Deo famulatus eſt cum zelo, non eſt cur illius deſiderio tenearis; ſed ingredi debes in S. Pauli ſenſum, qui ajebat: *cupio diſſolvi*, *& eſſe cum Chriſto*, quod ſine comparatione ulla mihi melius videtur. Sed velles adhuc videre conjugem tuum, illius frui conſuetudine, ab illo amari, ut amabaris; participem fieri gloriæ, exiſtimationis, & gratiæ ipſius, cujus hactenus tot tantoſque effectus experta es. Horum bonorum jactura te in triſtitiæ abyſſum conjecit, & in animum tuum denſiſſimas tenebras effudit. In te una ſitum eſt illam adhuc fovere amicitiam, quam cum illo fovebas; abſentia vincula hæc non perfringit; tempus, locorum diſtantia perrumpere nequit nodos, quibus duo corda vinciuntur. Nullus dubito quominus tibi ſit ardens illius iterum videndi deſiderium; ut hoc merearis, eſto illi fidelis, ne in thalami ſui partem voces virum alium; ſequere magna virtutis exempla, quæ tibi reliquit; hæc ratio eſt inveniendi illum, eumque poſſidendi, non ad brevem annorum numerum, ſed in omnem æternitatem. Virtutis ſimilitudo potius quam ſanguinis affinitas adducet te in partem beatæ regionis illius, qua ille modo perfruitur. *Ex Opuſculis S. Joannis Chryſoſtomi*.

Exemplum S. Stephani Caritas, qua cum viduis ſe ſe gerebat.

Ut vos admoneam officiorum veſtrorum, ac rationis, quæ a vobis eſt habenda viduarum, hodie vobis propono S. Stephani exemplum. Magnus hic Sanctus propter concreditam ipſi Eccleſiaſtici theſauri curam, hanc provinciam non ſolum adminiſtrabat, verum etiam curam gerebat viduarum, quæ ſeorſim a mundo divino cultui devotæ vivebant. Illius erat eas erudire, conſolari, dirigere, ideoque ſæpe inter illas verſari, videre, & audire debebat. Hic Deus periculum fecit probitatis illius, hic refulſit integritas morum ejuſdem; & publicum teſtimonium illi æque utile fuit, ac neceſſarium. Neque enim exiſtimandum eſt, caritatem, immo neque ſanctitatem primorum fidelium illum ſatis defenſurum fuiſſe ab aliqua cenſura, ſi quem huic locum præbuiſſet. E contra quo ſanctior erat Chriſtianiſmus, eo paratior eſſe debebat ad ſevere animadvertendum in leviſſimas uſque ſuſpiciones. Sed licet S. Stephani munus ſit converſari cum ſexu adeo fragili, ceterumque ſatis valido ad fortiſſimum quemque ſuperandum, quod unum eſt ex illis officiis, quæ ſemper anſam præbuerunt obtrectationi; per effectum prorſus oppoſitum hoc auget opinionem, atque æſtimationem de illo conceptam. Nominis ejus celebritas adeo ſolide erat inſtituta, ut cenſura quælibet illi parcere teneatur. Stephanus in ipſo ætatis flore, & in miniſterii ſui exercitatione verſatur cum mulieribus, dicam ne ſine ſcandalo? Hoc parum eſt, ſi vultis; dicam ne ſine reprehenſione? Hoc multum eſt: dicam ne ſine ſuſpicione? Hoc amplius eſt, ſed nondum ſatis: nam hoc præſtat cum honore, cum fructu, cum ædificatione, quæ ſeſe ad Eccleſiam univerſam communicat; quod eſt miraculo proximum. Licet S. Hieronymus nullam prætermiſerit cautelam in regimine illuſtrium Matronarum, quas pepererat Deo, quibus coloribus, licet fallacibus, nomini ejus officere mortales conati ſunt? Quibus apologiis opus fuit ut zelum ſuum probaret, licet ſanctum, ac intentiones ſuas licet puriſſimas? Quomodo hac de re ipſe conqueſtus eſt, & quomodo pluribus in locis explicat animum ſuum? *In Panegyricis P. Bourdaloue*.

Viduarū regimini præfectus fuit S. Stephanus, quia plenus erat gratia Dei.

S. Stephanus ſanctificatus per unctionem gratiæ, quæ homines perfectos efficit coram Deo, & Mundo, ad litteram appellari poterat *Operarius inconfuſibilis*, (*2. Tim. c. 2. Auguſt.*) quo nomine Apoſtolus illum appellat, qui elata fronte poteſt incedere, quin pudore ullo ſuffundi poſſit. Ideo ſubdit S. Auguſtinus, illi mulierum committitur regimen, & inde recipit teſtimonium ſibi debitum purgatiſſimæ, ſolidiſſimæ atque abſolutiſſimæ virtutis: *Virgo præponitur feminis*, *& in hoc teſtimonium accipit intergerrimæ caſtitatis*. Hinc nominis celebritatem adquirit, non ſolum apud domeſticos fidei, verum etiam apud alienos. Hinc de inimicis triumphat, qui furore acti, poſtquam nihil inauſum reliquerunt, ut illius opprimerent innocentiam, dentibus infrendent in illum; quia criminationes omnes, quæ in ipſum ingeruntur, ſibi invicem adverſantur, & nihil valent contra præclarum illud teſtimonium, quod, illis invitis, ei perhibet veritas. *Idem*.

Vitia a Viduis evitanda.

Quod Vidua ſibi perſuadeat, ſe impune ſibi quodvis licentiæ genus permiſſuram, quin aliquis de ipſa obloquatur, & apud omnes audiat male, ſibi futurum fas quæcumque ſibi placuerint ineundi commercia, quin inde aliqua hauriatur illatio in honoris ſui detrimentum; ſibi jus futurum habendi amicitias, quæ cum periculo conjunctæ ſint, & quin inde aliquis ſcandalum ſumere debeat; & quidquid illa fecerit nemini eſſe credendum nihilque ſuſpicandum, aut videndum alicui, vel potius unumquemlibet ſe ipſum obcæcare debere ut illam frugi, & caſtam exiſtimet; non ne perſuaſio hæc æque chimerica eſt, ac injuſta? Attamen hæc perſuaſio eſt tot mundanarum mulierum. Bene audire volunt, cupiunt ab omnibus exiſtimari virtute præditæ, quin ſibimet inferant vim, ac ulli ſubjiciant legi. Dicam melius, habere volunt virtutis, vitæ bonæ famam cum omni licentiæ, libidiniſque facultate. Ita videbitis feminas iis implicitas ſocietatibus, quæ ne indul-

gen-

gentiſſima quidem Caritas excuſare poteſt, neque in æquiorem partem interpretari, & nihilo ſecius gloriari, ſe ab omni labe immunes eſſe; velle ſe pro talibus haberi; iraſci, niſi habeantur, & inimicos vocare, qui dubitant, qui de earum operationibus detrahunt, idque innixæ Domini præcepto, quo de quoquam judicium ferre prohibemur. Quo quidem in præcepto amplificando, quoniam earum intereſt, ſunt eloquentes, quin conſiderent, ſi hoc principium tam late pateret, quam arbitrantur, turpiſſima quæque flagitia tranquille in mundo eſſe regnatura; quin liceret damnare rerum ſpecies, quæ nihilominus omne ſcandalum præbent, & ſpecies ita probatæ perniciosiſſimos foverent effectus. *Idem.*

Viduæ ſequi debent Sanctæ Monicæ exemplum erga filios ſuos.

Ad S. Monicæ exemplum componenda eſt veſtrorum filiorum cura a vobis habenda tanquam primum officium veſtrum, vobis pro illis Deo preces fundentibus, illos eidem offerentibus atque patienti, & æquo animo ferentibus negotium, quod vobis faceſſunt, neque ſpem abjicientibus fore ut ab erroribus ſuis avocentur, & in vias ſalutis revertantur. Reliqua bona opera, quibus vacatis, fieri debent ad hunc finem, exiſtimantes, cetera, quæ exercetis, pauperum viſitationes, ægrotantium curam in noſocomiis, cœtus caritatis, ſpiritualia, & temporalia ſubſidia, quæ calamitoſiſſimis, & maxime derelictis procuratis, omnes inquam actiones has ſæpe eſſe opera ſupererogationis; ſed præcipuum officium veſtrum eſſe, filiorum veſtrorum inſtitutioni vacare: hoc eſt caritatem veſtram, non eſſe ad alios extendendam, niſi poſtquam hoc maximi momenti officio defunctæ fueritis. Hinc Apoſtolus fert judicium de virtute, & ſanctitate viduæ: & hinc ducit initium inquirendi quænam eſſe debeat viduarum vita, & mores: *Si filios educavit;* (1. *ad Tim.* 5.) & ſi minus nitent virtutes, quæ in hoc obeundo munere exercentur; tamen ſunt in mercede recipienda ſolidiores, ſtatui veſtro accommodatiores, & illæ, quas a viduis potiſſimum requirit Deus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Exemplum piorum ſenſuum, quos Sancta Monica fovet erga filium ſuum.

Monica poſt obitum Patritii viri ſui, jure Deo dicere poterat illa Prophetæ verba: *Dirupiſti vincula mea;* (*Pſ.* 115.) & nihil prohibere poteſt, ne tota tua ſim, ac ſine diviſione. Et profecto perfectius ſe ſe illi devovit, quamvis illi a teneris uſque unguiculis deſervierit. Sed S. Auguſtinus filius ejus fuit tanquam vinculum, & nodus, qui arctius illam conſtrinxit: videlicet, fuit occaſio, propter quam Deo preſſius hæreret per preces magis aſſiduas, & ferventiores, per jejunia magis auſtera, per uberiores eleemoſynas ut obtineret hujus filii converſionem, qui cum videret ſe majorem libertatem adeptum, & quaſi juris ſui factum, per obitum Patris, qui cum ſe ſe convertiſſet ad Deum, & Chriſtianam Religionem eſſet amplexus, filii vitia redarguere non deſiſſet, ſe ſe omni voluptatum generi mancipavit, ita ut nullo habens in diſcrimine genitricis ſuæ ſanctiſſima documenta, de vitio incidit in hæreſim, & de morum licentia in licentiam fidei, donec tandem lapſus eſt in inſaniſſimos Manichæorum errores, qui duo agnoſcebant principia ſibi invicem oppoſita, & duo numina, quorum alterum jubebat bonum, alterum vero malum. *Idem.*

Nulla unquam mulier melius ſtatus ſui munera adimplevit, utque melius iis fungeretur, ſtatuit mundo valedicere.

Nulla unquam mulier majorem erga virum ſuum conjunxit amorem cum conſtanti adhæſione omnibus Chriſtianæ Religionis officiis, neque vidua ulla melius omnibus ſtatus ſui officiis perfuncta eſt; cumque jam pridem intus ſe cogi cognoſceret ad mundi fugam, deinceps in id unum incubuit, ut ita domeſtica negotia ſua procuraret, ut filii præſentia ſua non indigerent, & ſequi poſſet vocationem ſuam, ubi primum a conſcientiæ ſuæ directore juberetur, qui & ipſe operam ſuam collocabat, ut in hunc finem omnia diſponerentur. Ejus mens non erat, ut ex epiſtolis ejus liquet, recentem Religionem inſtituere, ſed quoddam vivendi genus, ut iis, quæ illud amplecterentur, liceret poſt emiſſum tyrocinium, egredi ad bona opera facienda, clauſuram non obſervantibus, niſi quatenus eſſet neceſſaria ad ædificationem, Communitati adhærentibus per caritatem, quin ſe ſe eidem irrevocabilibus votis obſtringerent. *Auctor Recens.*

Bona opera Sanctæ hujus Viduæ magnam illi nominis celebritatē compararerunt.

Cum Providentia nequaquam inſignem Sanctam hanc implicuerit Aulæ negotiis, jure de illa prædicari poteſt, quod inquit Scriptura de quadam ſancta vidua eidem ſimillima: *Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum:* (*Judith* 8.) Non communis erat illius exiſtimatio; timebat quippe Dominum, & nemo de illa obloquebatur. Verum multo magis commendabilis erat propter virtutes quam propter genus. Poſt obitum viri ſui receſſerat in Aſceterium, ut ibi finem faceret diebus ſuis omnino a creaturis ſeparata, ut Creatori tantum ſuo deſerviret, & plures jam exceſſerant anni, quibus ſolitudinis ſuæ deliciis perfruebatur. Omnes admirati ſunt gratiæ theſauros, quos Sp. Sanctus in anima hujus humilis Matronæ concluſerat; ſed quo magis interiorem illius partem perſpexit, minus in illa probavit guſtum ſolitudinis. Incepit illa exercere officia illius dignitatis, quæ ipſi demandata fuerat, tanta cum auctoritate, ac fructu, ut Religioſæ, quæ maxime adverſari viſæ fuerant reformationi, illam reſpicientes tanquam mox futuram Abbatiſſam ſuam, ſe ſe illi dociles præbuerint, & ratione duce ſe ſe ſocias addiderint illis ex ſororibus ſuis, quibus plus inerat pietatis. Benedictiones, quibus Cælum zelum hujus cumulavit, non fecerunt tamen, ut primum conſilium abjiceret. Directoris ſui abſentia uſa eſt, ut ſcriberet inſtituta, & regulas a Sanctis Virginibus, quæ ſuo regimini ſuberant ſervandas: præparavit Deus ſenſim, & ſine ſenſu vias ad complementum operis, quod nondum perſpici patiebatur ab illis, qui ſecundum Providentiæ ſuæ conſilia præcipua illius futuri erant inſtrumenta. Vix Clauſtrum hoc ingreſſa eſt, cum ad eum, qui percrebuerat, rumorem integerrimæ reformationis ab eadem introducendæ, ex omnibus domibus confluere viſæ fuerint Religioſæ; quarum fervor eo uſque proceſſit, ut pleræque profiterentur, ſibi tantum eſſe virium, & firmitatis, ut regulam, quam Sancta illa Matrona ſibi ſumma cum auſteritate erat perſcriptura, ad apicem uſque ſervarent. *Idem.*

Non defuerunt unquam in Eccleſia mulieres virtute præditæ & Viduæ Sanctæ.

Ex Actis Apoſtolorum, ac teſtimoniis, quæ Eccleſiaſtica nobis reliquit hiſtoria, diſcimus, nullo unquam tempore in Eccleſia defuiſſe mulieres virtute præditas, ſanctaſque viduas, quæ genere æque ac virtutibus præſtantes ſe ſe penitus addiderunt chriſtianæ caritatis operibus. Per earum miniſterium Providentia opem ferebat gravibus fidelium neceſſitatibus, qui coacti in cavernis perquirere perfugium contra furorem perſequentium, ſine earum ſubſidio inveniſſent finem crudeliorem omnibus illis ſuppliciis, quæ evitare conabantur. Earum largitates mulcebant amaritudines horum exiliorum, quibus nitebantur fatigare conſtantiam illorum, quos perfunctorii cruciatus deterrere non poterant: Nullum erat Cælum adeo remotum, ac innacceſſum, ubi earum caritas æque induſtris, ac prodiga non inveniret exitus, quibus ſe ſe effunderet. Religioſis illarum curis debet Eccleſia pretioſas tot Martyrum exuvias, quorum illæ cruentos, laniatoſque artus tenebrarum ope collegerunt: & hæc oſſa ſacra, quæ modo ſunt propoſita venerationi populorum, niſi earum extitiſſet cura, ſpectaculum eſſent opprobrii apud eos, in quorum mente Crux Jeſu Chriſti tamquam ſtultitia habebatur. *Ex Specimine Panegyricorum, Tomo* 1.

Viduæ filios non habentes in Deo debent confidere.

Si Viduæ filios habentes non carent ſubſidio; illæ tamen, quibus filii non ſunt, ſe deſertas eſſe credere debent, ſed ſpem ſuam in Deo debent conſtituere. Et quoniam liberæ ſunt, cum nullam habeant familiam, quam regant, nihil eas prohibet, quo minus ſe totas devoveant Deo, & reliquum vitæ ſpatium in precibus traducant. Hujus generis viduarum peculiarem curam Diſcipulo ſuo commendat Apoſtolus. En paucis imaginem Sanctæ Viduæ. Talis erat Propheteſſa illa, Anna nuncupata, quæ erat in Templo, cum Jeſus Chriſtus illi præſentatus fuit, de qua S. Lucas teſtatur, quod *non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens die, ac nocte.* (*Luc.* 2. 37.) Talis erat Sancta, cujus memoriam hodierna die colit Eccleſia. *Annus Chriſtianus, Tomo* 6.

Deſcriptio Viduæ Sanctæ, & qualitatum illius.

Sancta Vidua induitur quidem ſecundum conditionis ſuæ qualitatem, ſed ſine luxu, ſine immodeſtia. Induitur fortitudine, & ornatur virtute. Præfert timorem Domini formæ ſuæ; & per pietatem ſe dignam præbet iis laudibus, quibus cumulatur. Sæculi noſtri Mulieres audiant S. Petrum (*Cap.* 34. 3.) dicentem illis: Nolite ornatum veſtrum in exteriori indumentorum pompa ſtatuere, non in cincinnis, & calamiſtris, neque in aureis veſtium veſtrarum ornamentis: ſed exornate interiorem, & abſconditum hominem; hoc eſt, cor puritate ſpiritus modeſti & verecundi, quod quidem locupletiſſimum eſt, & magnificum in oculis Dei ornamentum. Antequam ingrediantur in Templum, quo ſæpe inferunt ſecum omnem immodeſtiam, & vanitatem, legant hæc verba; Volo mulieres, orare, indutas ut honeſtas requirit, verecundia & caſtitate exornatas, non comptos habentes crines, neque aurea ornamenta, non margaritas, neque veſtes pretioſas; ſed quales decebant mulieres, quæ pietatem profitentur, eamque bonis operibus teſtantur. *Annus Chriſtianus, Tomo* 12.

Sancta Vidua, quæ aliquot habet bona, otioſa eſſe non debet, ſed e contra operari, ut pauperibus ferat opem.

Mulier fortis non comedit otioſa panem ſuum, operatur conſilio manuum ſuarum, ut pauperibus opem ferat. S. Paulus inertes, otioſaſque mulieres condemnat, ſine ullo qualitatis diſcrimine, ne putent, ſe ab opibus ſuis diſpenſari ab ea pœna, quæ homini ſtatim poſt peccatum impoſita fuit verbis illis; In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. (*Gen.* 3.) Si minus opulentis Matronis laborandum eſt, ut temporalem hanc vitam alant; ſane illis eſt laborandum, ut vitam conſequantur æternam. Non ſunt Chriſtianæ ut in otio, & mollitia vitam traducant; ſi Satanas minime invenerit illas occupatas, facile cordibus earum potietur. Igitur extra tempus illud, quod in familiæ ſuæ regimine, & in fundendis Deo precibus inſumendum eſt, aliquam inveniant congruam exercitationem. Pro pauperibus, vel pro Eccleſia operentur, quandoquidem illis deeſt, quod ſibi operentur. Vita earum tota in lucro illis eſſe debet: quia opibus diffluunt; ſed non ideo lucratæ ſunt adhuc Cælum, neque lucrabuntur illud nihil agendo. Illis Deo habendæ, agendæque ſunt gratiæ, quod cum ſint extra neceſſitatem pro terra hac laborandi, laborem ſuum referre poſſunt unice ad illum, & imitari Sanctam illam Viduam, de qua ſermo eſt in Actis Apoſtolorum, quæ poſt obitum ſuum, nacta eſt omnes pauperes feminas, quibus illa propriis manibus ſuis veſtes elucubraverat. Illa viduis indumenta texuerat; viduæ autem S. Petrum precibus exorarunt, ut illam revocaret in vitam. Ita locupletes Matronæ pro pauperibus labori vacantes, ſibimetipſis laborant. Non veſcuntur illæ quidem in terra pane, quem labore manuum ſuarum ſibi compararerint; ſed beatæ erunt, quia veſcentur in Cælo fructu laborum, quos in terra ultro, alacriterque ſuſtinuerint. *Idem.*

Vita, & bona opera Sanctæ hujus Viduæ exēplo eſſe debent omnibus Viduis.

Sancta N. plures traduxit annos cum viro ſuo, quin illi moleſtiam ullam afferret, & ne tantillum quidem domus ſuæ tranquillitatem perturbaret. Timor, quo ſibi cavebat, ne Deum læderet, cauſſa erat, propter quam ſolitudinem, & orationem amabat, quæ jucundiſſimum illius erat negotium; ſed non ideo tamen illi inhærebat, ut non libenter illam relinqueret ubi rei domeſticæ, & familiæ ſuæ regendæ vacandum eſſet. Potiſſima illius cura fuit filios in Dei timore educere. Cum famulis ea utebatur caritate, & ſuavitate, uti parens. Extendit caritatem ſuam ad ægros, quibus deſerviebat; ad pauperes in quorum ſinum effundebat arculas ſuas, & horrea, quæ a Deo mirabiliter replebantur; ad peccatores, quos correptionibus, precibuſque ſuis excitabat ad pœnitentiam, & ad inimicos, quorum contumelias, perſecutiones, & calumnias perferebat ſine querela, ſine murmure, ſine acrimonia. Se autem contemptui habebat, omnemque in ſemet auſteritatem exercebat. Juge cilicium, cruenta flagella, cubilis ſui durities, moleſta ægrotantium cura, fere jugis oratio, nihil ipſi videbantur collata cum iis, quæ perferre moliebatur, niſi Cuſtos Angelus intra chriſtianæ prudentiæ terminos illam cohibuiſſet. *Vita Jeſu P. Novet.*

Sancta hæc in omnibus actionibus ſuis Sanctā Monicam eſt imitata.

Satis admirari non poſſumus, quod S. Auguſtinus ait de Parentis ſuæ ſanctitate, & de admirabili ratione qua reliquum vitæ ſuæ ſpatium traduxit. Erat illa inquit, ſerva ſervorum tuorum, Domine, & qui cognoſcebant illam, laudabant te, colebant, & amabant te in illa; quia ſanctitas vitæ ſuæ ſatis oſtendebat, te in illius corde eſſe præſentem. Unum habuerat virum, parentibus ſuis omnia mutuæ pietatis officia præſtiterat; ſumma probitate rexerat familiam ſuam; boniſque operibus ſuis eximiæ virtutis teſtimonia reliquerat; Filios maxima cura educaverat, illos toties parturiens quoties illos a te recedere conſpiciebat. Hoc præclarum eſt exemplum earum rerum, quas in Sanctiſſimis viduis deſiderat Deus, ſimulque magnum probrum eſt illis, quæ vivunt in deliciis, & ſuam æque ac filiorum ſuorum ſalutem negligunt. Heu! quid non egit Sancta N. ut obtineret a Deo filiorum ſuorum converſionem? Vidua hæc caſta, ſobria, & devota quales viduas eſſe vis, Domine, non ceſſavit pro illis lacrimas fundere coram te, ſemet excitans viva ſpe promiſſionum tuarum, ut quin negligentior fieret, nunquam vel requiem permiſerit ſuſpiriis ſuis, nec inducias lacrimis, neque finem votis precibuſque, donec illam voti damnaviſti. Tunc videns completa deſideria ſua, cum nihil illi deſiderandum ſupereſſet in terra, in Cælum ſummo ferebatur anhelitu; & cum ex illa percontaretur, utrum timeret mori in loco, qui adeo a patria ejus tellure diſtabat; nullibi longe abſumus a Deo, reſpondit, quocumque in loco ſimus: *Nihil longe eſt a Deo, neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſæculi, unde me reſuſcitet.* Quandonam eritis ita a mundo divulſæ, & ſupremo veſtro bono conjunctæ? *Vita Jeſu, P. Novet.*

Vidua Sanctam hanc viduā imitari debet.

Quam ſpecioſum eſt comparere id quod teſtatum nobis reliquit Evangelium de S. Anna vidua cum iis, quæ docet S. Paulus Chriſtianas viduas in Epiſtola ad Timotheum! Videtur in Sancto Paulo præceptum; videtur etiam in Anna præcepti complementum. Deus ad roborandum Apoſtoli ſui documentum permiſit, ut ſe illi Sancta hæc vidua ſubjiceret, & illud animaret exemplo multo ante, quam Apoſtolus adeo ſanctam legem tuliſſet. Inquit Apoſtolus: *Quæ vere vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die.* Evangelium teſtatur *Annam nunquam diſcedere* conſueviſſe *de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſervientem die, ac nocte.* Apoſtolus ait, *vidua, quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* Procul aberat, quod Anna viveret in deliciis, quandoquidem aſſidue jejunabat. Mortua erat in oculis hominum, quibus virtutes ſuas abſcondebat; vivebat autem coram Deo, quin non amovebat oculos ſuos ab anima adeo ſancta, & bonorum operum plena. Quam raro inveniuntur hujuſmodi viduæ, de quibus loquitur S. Paulus, quæ vere viduæ, & deſolatæ poſtquam jacturam fecerunt illius, quem illis amare licebat, ſanctum ineunt conſilium unice in poſterum inhærendi ſponſo, qui illis auferri non poteſt! Quam raro inveniuntur hæ viduæ, quæ S. Pauli documenta ſecutæ, in uno Deo confidunt, & dies, nocteſque in oratione traducunt! Viduitas hodie tanquam optabilis ſtatus habetur, ubi quovis excuſſo jugo nihil aliud faciendum ſit, quam ſibimetipſi indulgendum. Luſorii cœtus, hilares converſationes hodierna die apud has mundanas viduas habentur; domi ſuæ attrahunt luſores, ſodaleſque iis illecebris, quæ non improbantur amplius; Verecundia, quam ſervare debuerunt, efficit, ut magis magiſque libertatis dulcedine perfruantur. Elegantia, feſtivitas, opipara menſa, mollities, nihil prætermittitur earum rerum, quæ mundanos homines allicere poſſunt, & eos omnes, qui voluptate feruntur. Quin gemant eo in ſtatu, qui ex D. Pauli ſententia ſtatus eſt conſolationis; incipiunt vivere, reſpirare, numerare dies ſuos; nunquam voluptatis ſenſus fit acrior, niſi ex quo ſunt in hoc ſtatu, qui ipſis vitæ ſuæ videtur feliciſſimus. Oculos tandem aperiant hæ viduæ, quas faſcinat voluptas, & ſi fieri poteſt intelligant terribilem S. Pauli ſententiam, quæ par eſſe poterit, efficiendo ut reſipiſcant, niſi callum penitus obduxerunt. *Vidua, quæ in deliciis eſt.* S. Paulus non ait, quæ in peccatis eſt, ſed *quæ in deliciis vivens mortua eſt.* Mortua eſt, quia egreditur e ſtatu ſuo, qui ſtatus eſt lacrimarum, & deſolationis, ſtatim ac Mundi gaudiis ſe mancipat. *Annus Evangelicus Lambert, Tomo* 1.

Quanam fuerit commiſeratio Filii Dei erga pauperem viduā mœrentem ob filii ſui mortem.

Dominus ad viduæ dolentis commovetur intuitum. Hoc ſatis ſuperque erat ad flectendum cor, quo nullum fuit unquam magis ad miſericordiam pronum. Hæc vidua eſt, cui unigenitus in ipſo ætatis flore præmatura morte præripitur. Amittere filium unice dilectum, amittere unigenitum, amittere filium unicum vitæ ſuæ præſidium, & columen, eumque amittere in ſtatu, qui moleſtus eſt, & pluribus amaritudinibus repletus; & eo tempore quo in ejus ætate confiditur, & quo nequaquam creditur morte labefactari poſſe florentem robuſtamque illius juventutem: hæ omnes ſunt circumſtantiæ, quæ mœrentis, afflictæque matris cor ſauciant, atque tranſverberant. Hanc cum vidiſſet Dominus miſertus eſt; quomodo vero poterat non miſereri, quandoquidem tot in occaſionibus objecta minus permoventia, illum ad miſerationem flexerunt? Itaque non expectat Jeſus Chriſtus ſe ab hac vidua exorari; Status illius ſatis, ſuperque loquitur pro illa; ejus ſilentium plus innuit, quam verba valerent. Dolore contabeſcit; lacrimis ſuffuſa dolet, unico, quod illi ſupererat ſubſidio, deſtituta. Ad miſeri ſtatus hujus miſeriam redactam eſſe, loqui eſt eloquentiſſime apud eum, qui venit in hunc Mundum, ut afflictis ſolatium, & miſeris opem ferat. Neceſſe non eſt aliquid præterea quærere in Evangelica hiſtoria, ut plures maximi momenti veritates edoceamur, & diſcamus ſecreta conſilia, quæ ad agendum movent Dominum univerſorum in peccatorum converſione. Vidua Evangelica Eccleſiæ figura eſt. Status deſolationis ejuſdem extremam indigitat triſtitiam, qua Eccleſia Mater noſtra conficitur, cum dæmon illi ſurripit filios ſuos, gratiæ vitam illis auferendo. Mundi Salvator viduæ filium reſuſcitat, quia triſtitia, & lacrimis ejuſdem permovetur. Unde liquet quantum roboris, ac virium adſit Eccleſiæ gemitibus ad ciendam Dei miſericordiam, & peccatoris converſionem obtinendam. *Idem Tom.* 4.

Poſt pudorem, modeſtia omnino eſt Sanctis Viduis neceſſaria. Pudoris objectum eſt averſio ab omnibus externis rebus, quæ oppoſitæ ſunt caſtitati, & quas neque in ſe, neque in aliis pati poteſt. Modeſtia vero tollit quidquid inordinatum, & indecens eſſe poteſt in externo corporis habitu, puta in intuitu, in inceſſu, in geſtu, in indumentis, in verbis, quarum rerum perturbatio ſignum, & effectus eſt ſpiritus inordinati. Virtus hæc ad ſummum optabilis eſt in vidua, quippe certiſſimum inditium eſt internæ virtutis, & ſpiritus ſapienter inſtituti. Spiritus ex actibus, & hominis Sapientia ex exteriori ſpecie dignoſcitur. Sapientia, Scriptura inquit, renidet in ore Sapientis. Homo ex oculis cognoſcitur, & inceſſus illius aperit, quid ſit intus. Quamobrem S. Ambroſius dicit, ſpiritus diſpoſitionem ex corporis poſitura cognoſci, & exteriorem motum quamdam eſſe vocem, quæ in ſpiritus agnitionem inducit. Ita ut ſi tibi fuerit ſapiens ſpiritus, & bene inſtitutus, hoc liquebit ex modeſtia exterioris habitus tui; ſed ſi extrinſecus fueris immodeſtus, ac abnormis, certum erit indicium, tibi ſpiritum eſſe levem, mobilem, indiſcretum, imparem ſeriæ cogitationi, & qui omnibus inanibus, ineptiſque cogitationibus patitur ſe circumferri. Et inconditus hic, incompoſituſque habitus malum erit indicium pro præſenti, & deterius præjudicium pro eo, quod aliquando futurus es. Virtutem hanc toto vitæ ſuæ tempore fideliter Sancta Noſtra exercuit; nec perfectius vobis ad imitandum proponere poſſum exemplar in omnem vitæ veſtræ curſum: *Gobinet in inſtitutione Juventutis.*

Cura a Sancta hac vidua ſuſcepta, ut educaret filios ſuos.

Sancta hæc Vidua plures habuit filios, quos ut in cognitione, ac timore Dei educaret, talem ſuſcepit curam, ut dici poſſit illos bis genuiſſe, & hos non minus illi debuiſſe gratiæ, quam naturæ vitam. Non continebatur tamen zelus illius intra filiorum ſuorum inſtitutionem; eadem caritate inſtitutioni, & moribus domeſticorum ſuorum invigilabat. Hi non ſecus ac domini participes erant theſaurorum, quos Deus effundebat in illam, & in hac ſancta familia ſervi æque ac filii panem, Cæleſtemque hereditatem partiebantur. Qui vidiſſet ipſos etiam ſervos a pedibus, & ancillas in aſceticis exercitationibus, qui eos vidiſſet frequenter in Templa ventitantes, & crebro ſacris ſe myſteriis reficientes, bene inſtitutos, orationi vacantes, ædificantes, optimumque præbentes exemplum iis etiam, quorum melior erat conditio, dixiſſet profecto domum illius potius Religioſam eſſe, quam ſæcularem; & ſi quid intererat diſcriminis, hanc non unum eſſe Aſceterium, ſed Seminarium plurium, & pleroſque famulorum ex domo illius non excedere, niſi ut aliquam ex reformatis Religionibus ingrederentur. Hujuſmodi erant occupationes, quibus in ædibus ſuis fortis hæc Mulier vacabat. Cum autem inde pedem efferret, pergebat in Templa, vel inviſebat captivos, & pauperes; cumque venerata fuiſſet Deum in ſolio ſuo, & in locis gloriæ ſuæ, quod ſupererat temporis, ad noſocomia, vel ad carceres opem latura ſe ſe conferebat. Sed quantuſcumque fuerit illius fervor in Cæleſtibus, viro ſuo adhuc ſuperſtite; alius omnino fuit, ex quo illum amiſit. Cum enim amor illius unicum dumtaxat haberet objectum, palam geminatus eſt; neque tantum unquam dilexit Deum ſuum, quam cum ab eodem hoc vulnere ſauciata fuit. Tunc illa ita ab omnibus abhorruit ſocietatibus, ut una cum viro ſuo ex hoc mundo exceſſiſſe videretur. Omnibus viſitationibus, quæ non niſi urbanitatis erant, non autem caritatis, nuntium miſit; & palam profeſſa eſt ſe teneri, ut melius impenderet tempus ſibi ad Æternitatem lucrifaciendam conceſſum. *Idem.*

EXEM-

EXEMPLUM SANCTORUM,

Qui nobis eſſe debent loco Prototypi, ut noſtrum quilibet, ſinguli in ſtatu, & conditione ſua propriam operetur ſanctificationem.

M O N I T U M.

Poſtquam actum eſt de variis ſtatibus, & characteribus Sanctitatis, deque illis, quos dignos cenſuit Eccleſia, qui in Beatorum albo recenſerentur; & poſtquam oſtenſum eſt, quam illa obtinuerit a Deo facultatem cogendi Fideles, ut illos tanquam hac dignitate præditos venerarentur poſt habitam juridicam eorum apotheoſis quæſtionem; mihi videor, non poſſe hujus argumenti melius finem facere, quam omnes ad eorum imitationem cohortando, & ſibi quiſque in exemplar eos proponendo, qui aliquam habent rationem cum ſtatu, & conditione, in qua ſingulos Providentia conſtituit. Quam ob rem pro viribus adniſus ſum media proponere, ac ſimul oſtendere, in quo ſita ſit vera ſanctitas, probando, exemplum Sanctorum, qui iiſdem in muneribus eademque in occaſione vixerunt, qua nos, omnes nobis obices, & difficultates auferre; ac tandem eos, qui nobis præceſſerunt, in iiſdem occaſionibus, & circumſtantiis, ut ita dicam, nobis iter ſtraviſſe. Hinc omnes prætextus, excuſationes, aſſertaque impedimenta omni prorſus carent fundamento, & ſunt mera proprii amoris illuſio, quandoquidem tot alii iiſdem in officiis, & conditionibus noſtris adepti ſunt ſanctitatem.

EXEMPLUM SANCTORUM, qui eſſe debent loco prototypi, ut noſtrum quilibet, ſinguli in ſtatu, & conditione ſua propriam operetur ſanctificationem.

Admirabilis Sanctorum varietas componentiũ Regnum Cælorum.

UT comprehendere valeatis admirabilem Sanctorum varietatem, qui Regnum cælorum componunt; mementote ſolum, illic adeſſe Patriarchas, qui Eccleſiæ primordium dedere primis Mundi hujus temporibus; Prophetas, qui per ſummum prodigium illius annales ſcripſerunt pluribus ante ejus nativitatem ſæculis; Apoſtolos, qui prædicationibus ſuis ejus fundamenta jecerunt; Martyres, qui illam ſanguine ſuo irrigarunt, & uberem effecerunt vulneribus ſuis, quæ audaci quidem, ſed vero vocabulo fidelium martyria poſſunt appellari: *Vulnera Martyrum martyrium fidelium*; Doctores, qui illam ſcripſit ſuis propugnarunt, luminibus ſuis illuſtrarunt, laboribuſque extenderunt; Confeſſores, qui illam virtutibus ſuis exornarunt; Anachoretas, qui in deſerta illam pertulerunt; Cœnobitas, qui illam a mundo ſecreverunt, illam in Clauſtris ſui concludentes; Virgines, quæ illam ſua puritate multiplicaverant; Viduas, quarum opera in earum familiis floruit, & quaslibet alias conditiones, quæ illam ornarunt, & quas, nominibus deficientibus, exprimere non valemus. *In Panegyrico Sanctorum omnium P. Senault Oratorii.*

Amicabilis conſenſus, & ſubordinatio, quæ invenitur inter Sãctos in Cælo.

In hac tamen adeo admirabili varietate, quæ ſtuporem injicit illam ſibi fingere adnitentibus, nulla confuſio eſt, nulla invidia. Singuli ibi locum inveniunt meritis ſuis parem; ſinguli coronam gerunt, teſtem ſuorum laborum, atque mercedis; ſinguli æquiſſimum operibus ſuis honorem nanciſcuntur: *Ubi dignitas, Sanctitas*. In Principum aula fortuna ut plurimum virtuti præripit palmam; Reges ſua ſequuntur ſtudia, & non tantum in eos oculos figunt, qui ſibi ſunt utiliores, quantum in eos, qui iiſdem ſunt jucundiores: cumque in eorum cordibus nequeant inſpicere, non ſemper agnoſcunt eos, a quibus impenſius amantur; ſed eos, qui melius ipſis amorem ſuum teſtari, ac perſuadere didicerunt: Cumque ipſi nequaquam ſua benefacta pro meritis diſtribuant, non deeſt in ipſis quidem injuſtitia, & in ſubditis eorum invidia. Sed in Jeſu Chriſti Regno hujus voluntas ipſa juſtitia eſt, præmia diſtribuens, ordines dirigens, coronas largiens, & favores illis etiam concedens, quibus conceſſit & merita. Etenim ſecundum Theologorum axiomata, gratia ipſa meritum conſtituit; & meritum dirigit gloriam, & gloria meritum remuneratur: *Gloria fons meriti, meritum ſemen gloriæ, & gloria merces meriti.* (*D. Thom.*) Ita in Cælo invenitur, ſine perturbatione, & ſine murmure varietas; cumque beatorum ſinguli pro meritis excipiantur, nemo queri poteſt, & nemini invidere; ſed tantum abeſt, ut adeo ignavos ſenſus foveant, ut de aliorum felicitate lætentur; & per miraculum quod in hoc mundo non ſatis intelligitur, Divina Eſſentia ſeſe totam omnibus largiatur, & eorum diſcrimen efficiens, ſimul requiem, & & felicitatem illorum conſtituat. *In Omnium Sanctorum Panegyrico P. Senault.*

Bona, quæ in Cæleſti gloria inveniuntur, eorum debent in nobis deſideriũ excire.

Fierine poteſt, Auditores, ut tot bona, quæ in celeſti gloria inveniuntur, eorum in vobis deſiderium non cieat? Fierine poteſt, ut res adeo excellens, ac tanti pretii nullum ſui in vobis gignat amorem? Conquerimini, quod veritas mendacii fraudibus ſuperetur in terris, quod illius pulcritudo non agnoſcatur, quod ſui amatores illam derelinquant, & divina hæc Dominatrix inhibere nequeat mobilitatem ſervorum ſuorum. Cur ergo non anhelatis in cælum, ubi veritas victrix eſt, ubi de mendacio triumphat, ubi omnes ſuas pandit illecebras, & ubi ſubditos ſuos ab impotentia, & iniquitate liberat? *Ubi victoria, veritas.* Illius gloria cum veſtra conjuncta eſt; illi inferri nequit contumelia, niſi inferatur & vobis; & ſi illam diligitis, vobis optandum eſt, ut regnet, ut & ipſi cum illa regnetis. Mente igitur, ac deſiderio voſmet in cælum attollite, ubi ultionem ſumit de inimicis ſuis, ubi amatores ſuos remuneratur, ubi ipſa illorum victoria eſt, atque triumphus. *Ubi victoria, veritas. Idem.*

Hominum iniquitas, & ingrati animi vitiũ efficere debent ut ad beatorum gloriam anhelemus.

Hic humi improbatis hominum injuſtitiam, qui non meritum, neque virtutem remunerantur, qui favori, ac generi tribuunt dignitates, & qui eruditos viros, ac juſtos ſine honore, ac præmio relinquunt. Cur ergo non contenditis ad beatorum gloriam, ubi præmia laboribus paria ſunt, ubi coronæ bonis reſpondent operibus, & ubi ſanctiſſimus quilibet idem eſt honore cumulatiſſimus: *Ubi dignitas, ſanctitas.* Reges, quorum præclariſſima virtus liberalitas eſt, inani ſpecie plerumque falluntur; non ſatis cognoſcunt merita, & ſæpe vitium remunerantur, rati ſe remunerari virtutem. Sed, quem colimus Deus, ingenti lumine pollet: legit in cordibus deſervientium ſibi; intelligit actiones eorum, quarum principium gratia ſua eſt, & omnes voluntatis noſtræ motus conſpiciens, nullum ſupplicio crimen impune abire patitur, neque virtutem ullam remuneratione vacuam abire permittit. *Ubi dignitas, ſanctitas.* Præmium homines excitat, & generoſiſſimus quiſque in bonis operibus, quærit vel gloriam, vel utilitatem. Cur ergo in Cælum non contenditis, ubi æquiſſimus judex ſingulos pro meritis remuneratur, & nullam habens rationem vel generis, vel gratiæ juſtitiam tantum, & ſanctitatem conſiderat? *Ubi dignitas, Sanctitas. Idem.*

Duritiei conditionis noſtræ hic in terris nos impellere debet ut a terrenis rebus avulſi, ad cæleſtia anhelemus.

Hic in terris gemitis ſub duro conditionis veſtræ jugo, conqueriminor ſemper vobis enſe diſtricto incedendum eſſe, ut pugnetis, vos undique ſeptos eſſe inimicis, eoſque etiam in ſinu veſtro geſtare. *Et inimici hominis domeſtici ejus*: vos eſſe theatrum inteſtini hujus belli, in quo caro veſtra pugnat cum anima veſtra, in quo vos eſtis oppugnantes, & propugnantes, victores, & victi, in quo de victoria veſtra lætari vobis non licet, niſi ſimul de clade doleatis. Relinquite ergo miſeram hanc ſedem, ubi vita tentatio eſt, & certamen, & contendite ad jucundiſſimum illud domicilium; ubi pax incolarum felicitatem conſtituit, & ubi Sancti victores ſunt, ac triumphantes: *Ubi pax, felicitas.* Doletis hic partem veſtri contra partem alteram inimicitias exercere, & quotieſcumque utramque ſimul conciliari conamini, ſemper nova exardeſcere prælia. Cur ergo mente, ac deſiderio non tenditis in cæleſtem patriam, ubi vobiſcum conſentietis, ubi cum nihil adſit vel intra, vel extra vos, quod vos perturbet, inter pacis delicias locupletiſſima felicitate perfruemini? *Ubi pax, felicitas. Panegyricus Patris Senault in die Omnium Sanctorum.*

Perfectio ſecundum Deum non ſita eſt in eo, ut magna faciamus.

Noſtra ſecundum Deum perfectio non ſita eſt in eo, ut plura faciamus. Hic fuit error Marthæ, quam J. C. reprehendit. Neque in eo, ut faciamus magna. Maximi ſunt coram Deo Sancti, qui nihil magni fecerunt, propter Deum; Sancti quorum vita obſcura fuit, & abſcondita, & quorum actiones minime nituerunt, & coruſcarunt, & de quibus homines ſiluerunt, magni erant ſanctitate, ſed tota eorum ſanctitas in rebus parvulis ſita erat; & efficiebat Deus, ut illi ea in ſanctitate, qua modica illa operabantur, infinitos gratiæ theſauros nanciſcerentur. Magni erant humilitate; eiſque humilitas ſuadebat, ſua, ut noviſſima quæque ſibi depoſcerent munera, aliis relinquentes illa, quæ cum nitore conjuncta erant, indignos ſe rati, qui talibus præficerentur miniſteriis. Denique perfectio noſtra non exigit, ut mira, & ſingularia faciamus. Hæc ex quo ſunt ſingularia, & præter conſuetudinem, rara ſunt, & infrequentes eorum occaſiones; tamen perfectio noſtra in iis eſſe debet, quæ magis nobis habitualia ſunt, in iis, quibus ſæpius occupamur, in iis, quæ jugiter nobis præ manibus verſantur, in iis, quibus dies, & anni vitæ noſtræ replentur. *P. Bourdaloue in Aſceticis receſſibus.*

Ejuſdem argumenti.

Hinc ſequitur a vulgaribus actionibus noſtris pendere eam perfectionem, ad quam a Deo vocamur. Hæ quippe actiones ſunt propriæ ſtatus, & profeſſionis noſtræ; ideoque illæ ſunt, quas Deus præſertim expetit a nobis; quandoquidem per gratiam ſuam nos in hunc ſtatum adduxit, ut ibi viveremus, & ageremus ſecundum ordinem ab illo inſtitutum. Ceterum liquet, Dei voluntatem eſſe cauſſam noſtræ ſanctificationis; illam tribuere pretium quibuſcumque rebus, quas facimus: ſine hac Dei voluntate, maximas quaslibet actiones noſtras nihilum eſſe, & cum illa actiones licet minimas eſſe meriti præclariſſimi. Hinc ergo inferendum eſt, me nonniſi per officiorum meorum, maxime communium coram Deo perfectum futurum. Quid fecit Jeſus Chriſtus annis triginta? Nihil quidem memoria dignum juxta mundi æſtimationem, & nihil niſi abjectum in oculis hominum; ſed quia faciebat voluntatem Patris ſui; quia in omnibus, ut ille dicebat de ſe, ea faciebat, quæ Deo maxime placebant; *quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper*: (*Joann. 8. 29.*) actiones, quæ in mortalium oculis erant abjectæ, objectum erant, in quo Deus ſibi complacebat. *P. Bourdaloue ibidem.*

Perfectionem noſtrã in obligatione officiorum noſtrorum invenimus.

Quodnam nobis eſt argumentum conſolationis! Neceſſe non eſt eminus noſtram quærere perfectionem. Hæc prope nos eſt, & in nobis. Meam nanciſcar in officiis meis, & in quotidianis meis exercitationibus. Perfectio extra hæc exercitia, & quæ non conducat ad obeunda mea munera, mihi erit perfectio inutilis, & exlex, quam Deus non probaret, & quæ a mundo quoque reprobaretur, quæ mihi ſuperbiæ ſpiritum afflaret, & me ſexcentis objiceret noxis; cum e contra hæc vitæ communis perfectio, & a Deo, & ab hominibus comprobatur. Hæc ædificat, hæc non inflat, hæc ſubjecta non eſt vanitati: creditur facilis, & talis re vera eſt theoretice; ſed ut diu in praxi, conſtanterque exerceatur, quot difficultates ſuperandæ ſunt, quænam vis ſibimet inferenda non eſt, ſimulque quot præmia non ſunt obtinenda? *Idem.*

Sanctificari poſſumus bene, & coram Deo quotidiana opera noſtra facientes.

A S. Auguſtino didicimus, Sanctitatem totam in vitæ noſtræ innocentia & puritate actionum noſtrarum conſiſtere. Docebo vos, ſi volueritis, rationem laudandi Deum integris diebus; *Suggero remedium unde tota die laudes Deum, ſi vis; quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum.* Hoc eſt, omnia fac ea mente, ut in omnibus, & ſingulis placeas Deo. Illum præ oculis habere, tanquam ultimum finem, quem vobiſmet proponitis. Non in re ipſa tantum, ſed in minimis quoque circumſtantiis actionum veſtrarum eſtote illi fideles; ita ut nihil elabatur vobis, quod mutet diſpoſitionem, in qua eſſe vos decet, & vita veſtra nihil erit niſi jugis laus, & oratio perennis. *Regula Sancti Benedicti Tomo 1.*

Chriſtianæ ſanctitatis fundamentum.

Quænam ſunt Chriſtianæ Sanctitatis fundamenta, quales nobis J. C. propoſuit? Evangelici adoleſcentis exemplum ea nobis palam oſtendit. Hic ſe a Deo commotum ſentiebat, ſuam ſalutem, atque ſanctificationem operari cupiebat; & hac de re conſulit divinum hunc Præceptorem, ad quem omnes undique confugiebant, ut ex ore illius æternas hauriret veritates. Quid autem re adhuc integra Dei Filius reſpondit? Num illi ſermonem inſtituit de omnimoda abrenuntiatione bonorum, quæ ab illo poſſidebantur? Explicuit ne myſticas gratiæ ſuæ operationes? allocutus eſt illum de ſublimibus peculiaribuſque donis orationis minime vulgaris? Nequaquam auditores; ſed *Serva mandata*, (*Matth. c. 19.*) divinus ille magiſter reſpondit. Ecce quid tibi præ ceteris faciendum eſt, & niſi ſuper hoc fundamento ſuperædificaveris, omne ædificium perfectionis tuæ arenæ incumbens per ſe corruet, teque obruet ejuſdem ruina. *P. Bourdaloue in Dominicali.*

In viã ſalutis ſemper procedendũ eſt.

Sanctitas opus eſt adeo diuturni laboris, ut hominis ætas ad extremum perducta ſenium nimis brevis videatur ut illum ad ſummum perfectionis apicem adducat; Sanctiſſimus quiſque ſemper fieri ſanctior poteſt: *Sanctus ſanctificetur adhuc*, (*Apoc. 22.*) & illius virtus habet incrementa ſua, quoad videat Dominum in Sion: *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.* (*Pſ. 83.*) Ipſe etiam Apoſtolus poſtquam ad tertium uſque Cælum raptus fuit, nonne vidit aliquam fieri ſuæ ſanctitati acceſſionem, nonne ſemper deinceps majori cum ardore labores ſuſtinuit? Scit, quænam ſit merces Sanctorum; & credit non ſatis unquam fieri poſſe, ut illam ſibi certam faciat; & quod rei hujus teſtis fuit, ideo timet, ne eadem habeatur dignus, quantumvis, ut ita dicam, illius arrhas perceperit. *Non quod jam acceperim, aut perfectus ſim*, (*Pſ. 3.*) ait ille, *ſequor autem, ſi quo modo comprehendam... Ego me non arbitror comprehendiſſe: unum autem, quæ quidem retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum ad deſtinatum proſequor bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Quænam iſtic haberi poteſt comparatio, fideles, inter viam quam vos in perfectione feciſtis, & eam quam fecit Apoſtolus? Tamen arbitramini vos ſatis jam proceſſiſſe: & ex hoc ipſo vobis judicium ferendum eſt, vos nondum primum protuliſſe pedem. Sanctiſſimus quiſque, qui ſicut gigas viam illam percurrit, vix ſe procedere ſentit, & profecto immenſum eſt iter juſtitiæ. Ne igitur metuatis nimis aliquid a vobis fieri, & contendite iter ad mortem uſque proſequi, quin ne ad breve quidem momentum gradum ſiſtatis. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* (*Eccli. 18.*) *P. Segneri in Meditation.*

Oportet nullis unquã deterreri difficultatibus, in via ſanctitatis.

Num nos ab incepto deterret labor Sanctitatis adquirendæ? Heu! quid! tanto ne ſtat nobis pretio, quantum non meretur poſſeſſio Dei ipſius? Terrent difficultates; labor animum frangit. Inanes metus, timor panicus, commentitiæ difficultates, quæ ſtatim evaneſcant, ubi ſtadium ingredimur. At nullus ne labor eſt in opibus cumulandis, in ambiendis honoribus, & aliquibus dumtaxat gradibus adquirendis? Nullo ſtat ſumptu, chimæricam ſibi ædificare fortunam? Quot hauriendi labores! Quot mœrores, quot amaritudines vorandæ! Quænam adeo nitens fortuna æquavit curas, faſtidia, humiliationes, abjectiones, quæ fuerunt ſuſtinendæ! Nulla in mundo via eſt, quæ non ſit plena ſpinis, periculiſque; tamen terribilis iſte difficultatum acervus neminem terret. Arduum eſt Sanctum fieri; verum eſt, mortificandæ ſunt cupiditates, prælia ſuſtinenda, vincendum eſt, ſed fatendum eſt Deum ſecretam effundere unctionem in cor amicorum ſuorum, quæ jugum illius delinit. Non deſunt cruces in illo; ſed fructus illius dulcis eſt. Quanta conſolationum ubertas inter rigores auſteriſſimæ pœnitentiæ? Sed licet inveniretur ſolum amaritudo in calice, & ſpinæ in viis hujuſmodi, num dubitandum eſt, cum agatur de æterna beatitudine, vel de æterna calamitate? *P. Croiſet in Aſceticis.*

In perfectionis via gradum ſiſtere citra ſalutis periculũ nequit.

Timor amittendæ immarceſcibilis hujus coronæ novus eſſe debet aculeus, qui vos cogat ſingulis diebus in viam ſanctitatis procedere. Si enim gradum ſiſtitis, S. Gregorius ait, locum præbetis furibus, ut ante terminum vos aſſequantur, & theſaurum veſtrum eripiant. Unum crimen efficere poteſt, ut Cæli jacturam faciamus. Extra peccati pericula noſmet nequaquam ſtatuimus, niſi prout illius cauſſas in nobis delere contendimus, quæ noſtræ ſunt animi cupiditates; & evitamus leves noxas, quæ ſenſim, & ſine ſenſu in graviores impellunt. Noſmet magis, magiſque emundemus, ſine ulla intermiſſione naturalibus ſtudiis noſtris obluctemur; hoc dicitur noſtram operari ſanctificationem; hoc Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico præcipit; ut nunquam ad ipſam uſque mortem facere ceſſemus. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.* (*Eccli. 18.*) Ne credatis igitur fideles vos ſatis puros eſſe; ne putetis vos ſatis jam præliorum ſuſtinuiſſe, ut ultra vobis metuendum non ſit. Momentum, quo fortaſſe voſmet recreare velletis, fortaſſe illud erit lapſus veſtri, ex quo deerit vobis reſurgendi ſpatium, & quod vobis præriperet coronam, quam falſo jam vos obtinere opinati fueritis. *P. Segneri in Meditationibus ſuis in delectos Scripturæ locos.*

Noſtra cum J. C. ſimilitudo ſemper perfici poteſt, immo debet.

Licet cor tuum eſſet omnino Jeſu Chriſti per caritatem, nihil tamen eſſet prætermittendum, ut illum ſemper magis diligeres, & in dies ſingulas nova illi præberes amoris tui documenta. Hoc innuit Apoſtolus ſuadens per hæc verba, ut *Creſcamus per omnia*. Sæpe de illo cogitemus; ſæpius loquamur cum illo, quæramus recentes modos illi placendi eumque glorificandi: *Creſcamus per omnia.* Nam ſicut corpus non creſcit niſi partium ſingularum incremento; ita anima non creſcit ſanctitate, niſi quatenus facultates illius perficiuntur exercitatione virtutum, quæ illis ſunt propriæ; præſertim vero, cum ſatis ſtudere neſcimus, nec ſatis intelligere. Tamen ubi corpus ad ſtatam crevit menſuram, ulterius creſcere nequit; anima vero ſemper ſanctitate creſcere poteſt. Huic non creſcere decreſcere eſt: non procedere juxta Patrum ſententiam retrocedere eſt. *In via Dei non progredi, retrogredi eſt.* Ratio, propter quam ibi ſubſiſtitis, ubi eſtis, ea eſt, quod vos ſtadii metam creditis attigiſſe. Hoc ipſum *retrogredi eſt*. Phariſæus Publicano poſthabitus fuit, ex quo credidit ſe ceteris antecellere. *Non ſum ſicut ceteri homines.* (*Luc. 18.*) Si averteretis oculos veſtros ab eo bono, quod agitis, ut de eo cogitaretis, quod vobis deeſt; intelligeretis, vobis adhuc plurima ſupereſſe facienda, ut perfectionem aſſequeremini. Sed cenſetis vos ad altiſſimum evaſiſſe perfectionis faſtigium, quia illius extenſionem juxta fallaces conceptus veſtros vobis proponitis. Ut bene agnoſcatis, ubi ſitis, voſmet cum Sanctis dimetiminor; illi plura ſubierunt prælia præ vobis; illi magis magiſque in perfectionis via proceſſerunt; illi millies Jeſum Chriſtum dilexerunt magis, quam vos, & tantum abeſt, ut via ſanctitatis eos delaxaverit, ut nihil cogitent, niſi ut in dies in Dei amore concreſcant. Ceterum ſublimis perfectionis gradus, quem vobis propono, animum veſtrum debilitare non debet. Si vobis ſuademus, ut novos quotidie conatus exeratis, ut in ſanctitate progrediamini; hoc vobis faciendum eſt cum Salvatoris ſubſidio. Hoc vos per omnipotentem virtutem ſuam fulcire debet, & infirmitati veſtræ ſupplere. *P. Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Sanctitas veram magnitudinem noſtrã conſtituit.

Solus homo, qui magis eſt coram Deo, vere magnus eſt. Magnitudo illius in ſanctitate ejus conſtituta eſt; & Deus, qui falli nequit in judiciis ſuis, nihil aliud nobis æſtimat. Sanctitas maximum eſt omnium donorum illius; ipſe unus pretium ejus cognoſcere poteſt, ac illud æterna felicitate remuneratur. Sanctitas ergo noſtra veram conſtituit magnitudinem, idque indepenter ab omnibus ſæculi bonis, & ab iis rebus omnibus, quæ in hominum oculis magnæ videntur. Fides nos aliter cogitare vetat. *P. Segneri in meditationibus.*

Perfecti eſſe debẽt nõ aliqui tantum, ſed Chriſtiani omnes generarim.

Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Salvator ait. Obligationis hujus praxis nonne facere debet ex Chriſtianis omnibus totidem Sanctos, quo nomine paſſim illos S. Paulus appellat? Quam igitur afferre poſſumus excuſationem, niſi contenderimus, ut perfecti evadamus, & ſimus Sancti? Si exemplum quod habemus tot aliorum, qui ſemet ſanctificarunt in tot diverſis vitæ ſtatibus, nos minime excitat, nos damnabit. Igitur non ad cœnobitas tantum, ſed ad omnes fideles loquitur Filius Dei, cum illos ad perfectionem hortatur; neque ad Religioſos tantum ſcribebat S. Paulus, cum dicebat illis: Qui poſſident bona, illis utantur, quaſi non poſſiderent illa. Qui conjugii vinculis alligati ſunt